1608/38.

Posita Causa proxima sufficienti pro. e non impedita ne cetu

– Relis Causa – relis Effectus –

LOGICA.

Synopsis

– determino – 3
propositiones –
varijs argumtis formulis
Cautionem 3
De Syllogismo conditionali
disjunctivo
Copulativo.
Epitheorematis

BRITISH MUSEUM

GILBERTI BUCHANANI

LOGICA;

In Usum Juventutis Philosophiam Studentis.

LONDINI:
Venalis apud Officinam T. Waller Bibliopolæ in Medio Templo.
M.DCC.XXXVII.

GILBERTI BUCHANANI

LOCA;

In Usum Juventutis Philosophiam Studentis.

LONDINI:

Venalia apud Officinam T. Waller Bibliopolæ in Medio Templo.

M.DCC.XXXVII.

LOGICA.

DIſciplinis aliis Philoſophicis ideo præmitti ſolet *Logica*, ut hujus ope rectius cogitare valeamus, et cogitationes debito ordine diſponere: atque hinc eſt quod dici ſoleant intellectus Operationes Logicæ *Objectum*, ſive id circa quod Logica verſatur.

Hoc ut melius intelligatur, ſciendum duplicem a Philoſophis communiter adſcribi Menti humanæ facultatem, alteram *Voluntatem* dictam, quâ quod bonum ipſi videtur, Mens proſequitur, quod tanquam malum repræſentatur fugit; alteram *Intellectum*, quæ circa rerum naturas cognoſcendas, et verum eruendum, idque a falſo diſcernendum verſatur.

Facultatis hujus Operationes, alias innumeræ, ad certas claſſes reduci ſolent: hæ a Logicis recentioribus duæ ſtatuuntur, *Apprehenſio* ſcilicet et *judicium*.

Apprehenſionis nomine intelligitur *nuda rei perceptio* ſive *repræſentatio*, ubi ſcilicet per ideam objecti in mente vicariam res menti tanquam præſens ſiſtitur, dum interea nulla ea de re fertur mentis ſententia.

Judicium dicitur, *illa mentis operatio, qua de Ideis inter ſe comparatis mens ſententiam fert:* Mentis operatio hæc Ideas duas prius formatas ſupponit, ut poſt inſtitutam inter eas Comparationem, pro ipſarum convenientia vel diſcrepantia, de iis (vel quod eodem redit, de objecto harum Idearum ope ipſi repræſentato) mens determinet, ſeu ſententiam ferat, an ſcilicet duæ iſtæ Ideæ ſint ejuſdem rei repræſentamina, vel an res ſit eadem quæ per duas iſtas Ideas repræſentatur.

Subdividunt recentiores *judicium* in *noeticum* et *dianoeticum*: Illud eſt, quo de Ideis immediate inter ſe comparatis fertur mentis ſententia, pro ſcilicet illarum convenientiâ vel diſcrepantiâ, quæ ex mero Idearum harum intuitu cernitur: hoc, quo de Idearum convenientiâ vel diſcrepantiâ determinat mens, prout utriuſque convenientiam percipit cum Idea tertia; aut alterius cum ea convenientia, alterius ab eadem diſcrepantia: in judicio quippe dianoetico utraque Idea cum eadem tertia comparatur, ut hujus interventu ſententiam ferre valeat mens de duabus iſtis Ideis, de quarum convenientiâ vel diſcrepantiâ vel nihil, vel non ita certo determinare valebat.

Pro diverſis hiſce Operationum intellectus Claſſibus, diſtribui ſolet *Logica* in partes tres, quarum *Prima* de *Apprehenſione*; *Secunda* de *Judicio noetico*; *Tertia* de *Judicio dianoetico* ſive de *diſcurſu* tractat: addunt quidam partem *Quartam* (quam dicere malunt alii *Appendicem*) de *Methodo*, debito ſcilicet cogitationum ordine aut diſpoſitione.

Cum autem animus non ſit hiſce hic loci fuſius inſiſtere, nec aliud intendatur, quam ut

Tyronum gratiâ breviuſculam demus ſynopſin illorum, quæ maxime neceſſaria videntur intelligendis iis, quæ in ſyſtemate Logico, et aliis Philoſophiæ partibus, poſtea (ουν θεω) tradenda veniunt ; cumque illud commodius aſſequi nequeamus, quam ſi prælibanda dederimus quædam de ſignis externis prædictarum intellectus Operationum : Compendiolum hoc proportionate ad prædictas tres Logicæ partes, tribus complectimur capitibus, quorum *primo* nonnulla trahituri ſumus de *termino*, ſigno utpote *Apprehenſionis* externo. *Secundo*, de *Propoſitione* ſive *Enunciatione*, ſigno externo *Judicii noetici*. *Tertio*, de *Variis Argumentandi formulis*, quod ſint hæ ſigna externa *Judicii dianoetici*, vel, ſi viſum fuerit, dicas diſcurſus.

CAP. I.

De Termino.

Deſcribi ſolet *Terminus* cum reſpectu ad Propoſitionem, quod ſit, *quicquid* eſſe poteſt propoſitioni *ſubjectum* vel *prædicatum* : quia autem deſcriptio hæc *intellectam* ſupponit propoſitionis naturam, illius vice hanc ſurrogant nonnulli, quod *Terminus* ſit, *quicquid* dici poteſt de aliquo, vel de quo aliquid dici poteſt.

Varias afferunt Summuliſtæ *Termini* diviſiones, ex quibus ſelectas quaſdam præ aliis notandas recenſebimus.

Dividere ſolent Terminum *primo* in *vocalem*, qui voce effertur, et *Scriptum*, qui literis exaratur ; addi a quibuſdam ſolet (licet non adeo proprie, dum de Idearum ſignis externis eſt Sermo) *mentalis*, qui mente concipitur.

Dividunt *ſecundo* in *ſignificativum*, qui præter Ideam quam in mente excitat *ſui ipſius* (ſoni nimirum quem edit, ſi voce proferatur, literarum quibus conſtat, ſi ſcripto committatur) aliam habet annexam, ut in his, *Glaſgua*, *Londinum*, et iſtiuſmodi ; et *non ſignificativum*, qui præter Ideam quam excitat ſui ipſius, nullam aliam habet annexam, quales innumeri a quovis cudi poſſunt.

Celebris eſt Termini diviſio *tertia* in *univerſalem* et *ſingularem* ; diviſio hæc vix probe intelligi poterit ante traditam in ſyſtemate logico doctrinam, de *univerſalibus*, cum nomina hæc ſortiantur Termini propter Ideas *univerſales*, et *ſingulares* ipſis alligatas : neglecta utcunque in his ut et ſequentibus aliis definitionis accuratioris AKPIBEIA, *Terminus univerſalis* is dicitur, *qui pluribus ſigillatim ſignificandis* eſt applicabilis, ut in exemplis vulgatis *Homo*, *Equus*.

Terminum ſingularem appellant, qui unum tantum ſignificat : illud autem fieri volunt, vel *determinate* vel *indeterminate* : *Terminum ſingularem* unum quid, idque *determinate ſignificantem* dicere ſolent *individuum determinatum*.

Determinari autem volunt *individuum*, vel *primo*, *nomine proprio*, ut, cum nomine hoc *Adamus* ſignificatur *primus Homo*. *Secundo*, nomine *communi* per antonomaſiam ſumpto pro *proprio*, ut in exemplo iſto, *Orator*, dum de *Cicerone* intelligitur. *Tertio*, nomine *communi* pro nomine *demonſtrativo reſtricto*, ut in exemplo, *hic Homo* ; vel *quarto* per *periphraſin*, ut cum pro *Paulo* dicitur *Gentium Apoſtolus*.

Terminum ſingularem, unum quid, ſed *indeterminate ſignificantem* (ut in Exemplo *aliquis Homo*) appellare ſolent *individuum vagum*, ſive

inde-

indeterminatum, quod licet uni tantum ſignificando intendatur, incertum tamen relinquatur quodnam ſit illud unum.

Dividunt *quarto* in *univocum* et *equivocum*; terminus *univocus* dicitur, qui pluribus ſignificandis ſecundum eandem ideam eſt *applicabilis*, ut, in allatis ſuperius exemplis *terminorum univerſalium*, *Homo*, *Equus*.

Terminus *equivocus* dicitur, qui plura ſignificat quibus idem imponitur nomen, ſed ſecundum ideas diverſas huic nomini ſive termino alligatas.

Terminum equivocum ſubdividunt: quod alius ſit *caſu*, abſque nimirum certa quavis ratione, ut in hoc exemplo *Gallus*, dum applicatur ſignificando et homini nato in Galliarum regno, et *Gallo Gallinaceo*: alius *Conſilio*, ex conſideratione ſcilicet reſpectus alicujus inter rem unam et aliam, quarum utraque ob certam rationem eodem nomine notatur: ita dicitur, non tantum *Corpus ſanum*, ſed et *ſanus aer*; *ſanum medicamentum*, *ſanus arteriæ pulſus*, propter ſcilicet reſpectum quem ad invicem habent *cauſa* et *effectus*, *ſignum* et *ſignatum*, et hujuſmodi; ille dicitur terminus pure *equivocus*, hic *analogus*.

Dividunt *quinto* in *abſtractum* et *concretum*; ille deſcribi ſolet, *qui adjunctum* aliquod vel quaſi *adjunctum* abſolute ſignificat: hic, qui ſignificat ſubjectum vel quaſi ſubjectum cum adjuncto: quicquid ſit de deſcriptionibus his de quibus non eſt quod multum ſolliciti ſimus, modo res ipſa intelligatur, prioris generis exempla ſunt, *Doctrina*, *Pietas*, *albedo*, *nigredo*; poſterioris, *Doctus*, *Pius*, *albus*, *niger*.

Dividunt *ſexto* in *Complexum* et *Incomplexum*: Illum ſubdividentes, quod alius ſit ſolis vocibus

bus complexus, non ſenſu, ut in hoc, *Sereniſſimus magnæ Britanniæ Rex Georgius*; alius ſenſu, non vocibus, ut *Doctus*, *Triſte*; alius et vocibus et ſenſu, ut in his, *Homo doctus* ſeu *Doctrinâ præditus*, *triſte ſpectaculum*.

Ex dictis de *Termino Complexo* facile colliget quivis quid intelligi ſoleat nomine Termini *incomplexi*, cujus afferunt exempla *Petrus*, *Paulus*, &c.

Tradi ſolent plurima de Termini *ſuppoſitione*, de qua notâſſe ſufficiat, dum dicitur Terminus pro hoc vel illo ſupponere; non aliud intelligi quam quod Terminus iſte pro hoc vell illo accipiatur.

Suppoſitio ita intellecta dividitur in *materialem*, et *formalem*: illa dicitur, ubi Terminus pro ſe ſumitur, id eſt, pro literis et ſyllabis quibus conſtat, ſi ſcripto committatur; vel pro ſono quem edit, ſi voce efferatur; ut in exemplis his, *Annus*, *Dies*, in propoſitionibus ſequentibus *Annus* eſt diſſyllabum, *Annus* conſtat quinque literis, *Dies* eſt vox leniter ſonans.

Suppoſitio dicitur *Formalis*, quando Terminus pro aliquo a ſe diverſo accipitur, ubi ſcilicet præter Ideam ſui ipſius aliam ſibi alligatam in mente excitat, ut in exemplis iiſdem, *Annus*, *Dies*, in propoſitionibus his, *Annus diſtinguitur in quatuor Tempeſtates*, *Dies conſtat ſpatio viginti quatuor horarum*.

Suppoſitio iterum *Formalis*, *propria* eſt, vel *Impropria*: prioris Exemplum eſt in propoſitione hac, *Ariſtides fuit Juſtus*: poſterioris in hac, *Herodes fuit Vulpes*.

Sed de his ſatis. *Progredimur ad*

CAP.

CAP. II.

De Propoſitione.

Propoſitio dicta etiam *Enunciatio* eſt *Judicii noetici* Interpres, ſive ſignum externum, quo *Judicium noeticum* a mente formatum aliis manifeſtamus: et deſcribi ſolet, *oratio affirmans* vel *negans aliquid de aliquo*: accuratius, conformiter ad prius dicta, deſcribi poterit, *oratio ſignificans mentis ſententiam de Ideis immediate inter ſe comparatis.*

Ex ſuperius notatis de *Judicio noetico*, patet ad Propoſitionem ſignum ipſius externum tria requiri. Primo, Terminum ſignificantem illud cui aliquid convenire, vel non convenire Judicamus, atque hoc *ſubjectum* appellatur. Secundo, Terminum ſignificantem illud quod Judicamus alicui convenire, vel non convenire: hoc autem *prædicatum* dicitur, ſive *attributum*. Tertio, Denique ſignum ipſius ſententiæ mentis, de harum convenientiâ, vel diſcrepantiâ; eſtque in propoſitionibus affirmantibus (de quibus poſtea) verbum ſubſtantivum *eſt*; in negantibus idem verbum ſubſtantivum, cum notâ negandi *non* præfixâ, vel alteri, (uti poſtea dicetur) Termino, vel quantitatis notæ, incluſa: ſignum hoc externum, quo (ut dictum) ſignificatur ipſa mentis ſententia, dici ſolet *copula*, quod in propoſitionibus affirmantibus ſuſtineri poterit; an autem in negantibus ita proprie dici poſſit *copula*, alibi remittimus inquirendum.

Tria hæc ad Propoſitionem requiſita cernere eſt in exemplo hoc, *Virtus eſt laudanda*; in qua pro-

propoſitione *virtus* eſt *ſubjectum*; *laudanda prædicatum*; *eſt Copula.*

Advertendum tamen non ſemper tria hæc explicite poni in Propoſitione; ſæpe enim Propoſitio integra eſt, ubi vel *ſubjectum*, vel *prædicatum*, vel *utrumque verbo* involvitur; adeo ut Propoſitio, interdum duabus, interdum unica voce conſtet; ut in his, *incumbo ſtudiis*, *Petrus legit*, *ſcribo*: ubi in Primo implicite tantum ponitur *ſubjectum* verbo utpote involutum; in Secundo *prædicatum*; in Tertio utrumque: tria autem illa, quæ ad Propoſitionem requiruntur, cernere erit in Propoſitionibus iſtis, modo reſolvantur, quod facile fieri poteſt, hunc in modum, *Ego ſum incumbens ſtudiis*, *Petrus eſt legens*, *Ego ſum ſcribens.*

Non tantum percipi poterit illud in verbis his et ſimilibus, quæ *adjectiva* a Logicis dici ſolent, atque ornatus et compendii gratia uſurpantur, quæque facile reſolvantur in *nomen*, vel (ſi cum Grammaticis loqui velimus) participium et *verbum ſubſtantivum*; ſed et ubi non eſt aliud verbum quam ſubſtantivum, nonnunquam ſupprimitur *ſubjectum*, ut in hac, *ſum defeſſus*, ubi ſuppreſſum intelligitur ſubjectum *Ego.*

Interdum etiam verbo *eſt* involutum reperitur *prædicatum*: ſciendum tamen hoc in caſu *eſt* eodem ſenſu intelligi ac *exiſtit*; et reſolvendum in nomen *exiſtens*, et idem verbum ſubſtantivum *eſt*, ut in hac, *Roma eſt*, quæ idem valet ac *Roma exiſtit*, et ut plena ſit ipſius reſolutio, *Roma eſt exiſtens.*

Obſervandum præterea non ex Terminorum ſitu, ſed Propoſitionis *ſenſu* diſcernendum *prædicatum*

dicatum a *ſubjecto*; ut patet in hoc exemplo, *omnium malorum parens eſt Ebrietas.*

Propoſitio patitur varias diviſiones, quarum præcipuas, quantum ad præſens inſtitutum, paucis perſtringemus.

Dividitur *primo* in *affirmantem* et *negantem*, conſequenter ad Judicia quorum ſunt propoſitiones ſigna externa: ubi enim mens, ob convenientiam, quam inter duas Ideas percipit, fert ſententiam eſſe has ejuſdem objecti repræſentamina, vel (quod eodem redit) objectum repreſentatum per has duas Ideas eſſe unum et Idem; Oratio ſignificans hujuſmodi Judicium, dicitur *Propoſitio affirmans*, qualis eſt hæc, *Vita ſincere pia ducit ad Beatitudinem:* ubi autem ob diſcrepantiam, quam percipit mens inter duas Ideas formatas, fertur ſententia, non eſſe has ejuſdem objecti repreſentamina, Oratio hujuſmodi Judicii Interpres, dicitur *Propoſitio negans*, exemplo hujus, *Vita flagitioſa non ducit ad Beatitudinem.*

Fit autem Propoſitio *negans* vel *primo*, ubi ponitur nota negandi *non*, immediate ante verbum Subſtantivum, ut in hac, *mendacium non eſt Deo acceptum.* Vel *ſecundo*, ante verbum adjectivum cui involvitur ſubſtantivum cum nomine, ut in ſuperius allato exemplo, *Vita flagitioſa non ducit ad Beatitudinem.* Vel *tertio*, quando negandi particula in ipſa quantitatis nota continetur, ut, *nullum vitium eſt Deo acceptum.* Addi poterit *quarto* cum nota negandi ponitur ante notam quantitatis *omnis*, *aliquis*, &c. ut, *non omnis doctus eſt pius*, cui æquipollet hæc, *aliquis doctus non eſt pius.*

Hic autem cavendum ne credatur Propoſitio *negans*, ubi per ſuperadditam negandi notam

tollitur negatio prior, ut in hac, *nulla Tranſgreſſio legis divinæ non meretur mortem æternam*, quæ huic æquivalet, *omnis Tranſgreſſio Legis divinæ meretur mortem æternam.*

Dividitur *ſecundo* in *Veram* et *Falſam:* Diviſio hæc ut melius intelligatur, vulgatam veritatis diſtinctionem in *Ethicam* et *Logicam* (neglecta alia, quæ metaphyſica appellatur, tanquam non hujus loci) paucis attingemus; *Veritas Ethica* intelligitur, conformitas ſermonis (vel ſignorum externorum quorumcunque, quibus animi cogitata aliis manifeſtamus) cum Judicio a mente formato; ubi ſcilicet quis utitur ſermone, aut aliis cogitationum ſignis externis ſecundum animi ſenſum, non ſaltem contra ac Judicat.

Veritas Logica eſt Conformitas Judiciorum, vel etiam Propoſitionum (vel ſignorum quorumcunque externorum, quibus latas a mente ſententias aliis manifeſtamus) cum rebus ipſis; ubi nimirum ita quis Judicat aut loquitur, vel ſigno quovis alio externo mentem ſuam alteri aperit, prouti revera res ſe habet: unde patet fieri poſſe, ut Propoſitio Logice vera, ſit interea Ethice falſa, ſeu mendacium; et e contra, Propoſitio Ethice (ſive ſenſu Ethico) vera, ſit Logice (ſive ſenſu Logico) falſa, quod Exemplis viva voce dandis manifeſtum fiet.

Prædictæ duæ diviſiones a *Qualitate* Propoſitionis deſùmi dicuntur: *Ratione Quantitatis*,

Dividere ſolent Logici Propoſitionem *tertio* in *univerſalem*, *particularem*, *ſingularem*, et *indefinitam:* quodque in membris his explicandis Terminis quibuſdam utantur Logici, qui a Tyronibus non facile intelligi poſſunt,

Advertendum in *Idea* vel *Termino univerſali* duo occurrere notanda, *Comprehenſionem* ſcilicet

et *Extenſionem*; dictum in Idea quandoquidem ratione hujus *Termino univerſali* annexæ, ipſi Termino hæc tribuuntur: nomine *Comprehenſionis* intelligitur Collectio *attributorum*, quæ ita in Idea continentur, ut nullum demi poſſit, quin ipſa pereat, ut in Idea *Corporis* ſubſtantia Extenſa: nomine *Extenſionis* Ideæ vel Termini Univerſalis, intelligunt communiter ſubjecta (quæ et Inferiora dicuntur) quibus repræſentandis vel ſignificandis Idea vel Terminus univerſalis eſt applicabilis; magis autem arridet, quod dicatur *Extenſio, applicabilitas Ideæ* vel *Termini univerſalis ad varia illa ſubjecta* ſive *Inferiora:* his notatis, ad membra Diviſionis modo dictæ deſcribenda progredimur.

Propoſitio *univerſalis* dicitur, cujus ſubjectum eſt Terminus univerſalis in tota ipſius *Extenſione* (vel, ut ab aliis dici ſolet, *Latitudine*) ſumptus: Dictum cujus ſubjectum, &c. quod ab hoc non a prædicato deſumatur Propoſitionum Quantitas: ſunt autem notæ univerſalitatis *omnis*, *nullus*, &c. ut in his et ſimilibus Exemplis, *omne vitium a Deo damnatur*; *nulla vera virtus Improbo convenit.*

Propoſitio *Particularis* dicitur, cujus ſubjectum eſt Terminus univerſalis in parte tantum ſuæ Extenſionis ſumptus; hujus notæ ſunt *aliquis*, *quidam*, ut in his, *aliquis*, *qui ſe profitetur Chriſtianum*, *eſt Idololatra.*

Propoſitio *ſingularis* eſt, cujus ſubjectum eſt Terminus ſingularis, qui ſcilicet unum tantum ſignificat, idque determinate, ut, *Georgius Buchananus merito habebatur Poetarum ſui ſeculi Princeps.*

Propoſitio denique *Indefinita* dicitur, cujus ſubjectum eſt Terminus univerſalis nulla quanti-

tatis nota affectus: ubi nimirum non Expreſſe ſignificatur utrum ſubjectum (quem Terminum univerſalem diximus) ſumatur in tota an parte tantum ſuæ Extenſionis, ut in Exemplis his, *Creatura a Deo dependet*, *Homo eſt muſicus:* num autem Propoſitionibus hujuſmodi dentur in mente Judicia, quæ etiam dici poſſint Indefinita, hujus loci non eſt inquirere.

Diviſionem hanc, quæ dici ſolet a Propoſitionis Quantitate deſumi, ut et primam a Qualitate (in Affirmantem et Negantem) eo lubentius attigimus, quod harum notitia omnino ſit neceſſaria ſyllogiſmorum doctrinæ, quæ poſtea tradenda venit, rite intelligendæ: quem etiam in finem vocalibus quatuor *a*, *e*, *i*, *o*, deſignare ſolent Logici Propoſitiones, quarum ſubjecta ſunt univerſales Termini, nota quantitatis affecti, (tradentes interea generales quaſdam regulas de Propoſitionibus Singularibus et Indefinitis, quas hic loci conſulto omittimus;) ut *a* notet *univerſalem affirmantem*; *e univerſalem negantem*; *i particularem affirmantem*; *o particularem negantem*; ſecundum vulgatum iſtud diſtichon.

Aſſerit *a*, negat *e*, ſed univerſaliter ambo.
Aſſerit *i*, negat *o*, ſed particulariter ambo.

Facile etiam ex diviſionibus his et ſuperius traditis, de Termini univeralis Extenſione capere quivis poterit, quæ dicuntur *axiomata:* Propoſitiones duas generales, quibus tanquam fundamentis innititur Doctrina ſyllogiſtica, quæ hic loci commode ſatis tradi poſſe videntur.

Axioma primum. *Quodcunque attributum*, ſive *prædicatum*, *vere dici poteſt de ſubjecto*, *Termino univerſali in tota ipſius Extenſione ſumpto*, *idem dici*

dici poterit de omnibus ſub illius extenſione contentis, vel (quod eodem redit) *de omnibus illius inferioribus* : ut quia vera eſt Propoſitio hæc, *omnis Homo eſt mortalis*; ideo etiam veræ ſunt iſtæ, *Petrus eſt mortalis*, *Paulus eſt mortalis*, et ſic de cæteris hominibus omnibus ; atque hoc eſt quod vulgo dici ſolet, *dictum de omni.*

Axioma ſecundum. *Quodcunque attributum*, ſive *prædicatum, vere negari poteſt de ſubjecto, Termino univerſali in tota ipſius extenſione ſumpto, idem etiam negari poteſt de omnibus ſub illius extenſione contentis*, ſive *de omnibus illius ſubjecti inferioribus* : ut quia vera eſt Propoſitio hæc, *nullum peccatum eſt Deo acceptum* ; ideo etiam veræ ſunt hæ, *mendacium non eſt Deo acceptum*, *intemperantia non eſt Deo accepta*, et ſic de aliis quibuſcunque peccatis abſque exceptione ; atque hoc eſt quod dicere ſolent, *dictum de nullo.*

Hic tamen obſervanda venit, quæ communiter ponitur, diſtinctio Propoſitionum univerſalium, quod illarum quædam intelligendæ ſint, *quoad genera ſingulorum*, ut in hac, *omne animal fuit in Arca Noæ*, ex cujus veritate ſequitur veritas Propoſitionum hujuſmodi, *fuit in Arca Noæ Homo*, *fuit Equus*, &c. non autem, *fuit in Arca Noæ Petrus*, *hic equus* ; aliæ, *quoad ſingula generum*, ut in Propoſitione hac, *omnis Homo eſt ſubſtantia compoſita ex mente finita et corpore organico unitis*, ex cujus veritate ſequitur harum veritas, *Petrus eſt ſubſtantia compoſita ex mente finita*, &c. *Paulus eſt*, &c. et ſic de ſingulis hominibus.

Obſervandum etiam in Propoſitionibus quibuſdam, in quibus ſubjectum eſt Terminus univerſalis nota univerſalitatis affectus, prædicatum

tum ſive attributum de ſubjecto enunciari, non ſenſu *diſtributivo*, quaſi idem prædicatum ſigillatim tribui poſſet ſingulis ſub Termini illius extenſione contentis, ſed ſenſu *collectivo*, ubi ſcilicet de omnibus Termini illius inferioribus collective ſumptis, ſive in numerum unum collectis, dici intelligitur prædicatum, ut in hac, *omnes Apoſtoli erant duodecim*, ex cujus veritate perperam quis inferet, *Petrus erat duodecim*; *Paulus erat duodecim.*

Hæc fuſius hic loci ſumus proſecuti, quod, ut prius diximus, Doctrinæ ſyllogiſticæ (quam poſtea tradituri ſumus) rite intelligendæ inſerviunt. Sed, ut ad Propoſitionis Diviſiones redeamus;

Dividi ſolet Propoſitio *quarto* in *ſimplicem* et *compoſitam*; atque utriuſque afferunt Logici ſubdiviſiones, quas tantum non omittemus.

Propoſitio *ſimplex* dicitur, *quæ in plures reſolvi nequit: Compoſita, quæ ex pluribus ſimplicibus inter ſe unitis componitur, in quas iterum reſolvi poteſt.*

Hic tamen advertendum, reſolutionem in plures propoſitiones ſimplices non intelligi illam, in qua, ob univerſalitatem ſubjecti, prædicatum ſigillatim dici poteſt de ſingulis ſub illius Termini extenſione contentis; aliter Propoſitio quævis univerſalis dicenda foret *compoſita*; ſed reſolutionem, quæ ortum ducit ex ipſa partium Propoſitionis compoſitione, de qua poſtea.

Propoſitionem *ſimplicem* ſubdividunt in *Incomplexam*, quæ conſtat Termino utroque, ſubjecto ſcilicet et prædicato incomplexo, qualis eſt hæc, *omne mendacium eſt peccatum*: et *complexam*, quæ conſtat vel ſubjecto, vel prædicato, vel utroque complexo, ut in his, *nullus aperte flagi-*

flagitioſus eſt beatus: Petrus eſt Homo ſincera virtute præditus: qui conantur vitia ſua celare homines, non effugient conſpectum Dei, qui corda novit.

Additamentum cujus gratia complexus evadit Terminus quivis tenens locum ſubjecti vel prædicati Propoſitionis; aliud eſt *explicativum*, ita dictum, quod alterius explicet et illuſtret Terminum cui additur, cujuſmodi ſunt Terminorum ſingularium additamenta, ut in exemplo ſequente, *Alexander filius* (vel qui fuit *filius*) *Philippi Macedonum regis debellavit Perſas*; illa item quæ inſerviunt comprehenſioni univerſalis Termini explicandæ, ut in hac, *corpus ſubſtantia* (vel quod eſt *ſubſtantia*) *in partes diviſibilis, Omnipotenti Deo originem ſuam debet:* aliud eſt *reſtrictivum*, dictum etiam *determinativum*, quod Termini univerſalis extenſionem reſtringat vel determinet, ut in hac, *omnis peccator fide ſalvifica ad Chriſti merita confugiens ſervabitur*, ubi prædicatum non omnibus peccatoribus, ſed ſolis ad Chriſti merita confugientibus tribuitur.

Additamentum in Propoſitionibus complexis *explicativum* involvit propoſitionem, quæ appellari ſolet *incidens*, quod in Propoſitionis principalis ſinum quaſi incidat, ut in ſuperius allato exemplo, *qui conantur vitia ſua celare homines, non effugient conſpectum Dei, qui corda novit*, ubi Propoſitio hæc *Deus corda novit*, dicitur *incidens: qui conantur vitia ſua celare homines, non effugient conſpectum Dei*, propoſitio *principalis.*

Propoſitionem *compoſitam* ſubdividunt Logici in *explicite* ſeu *aperte compoſitam*; ubi ſcilicet facile cernitur compoſitio, et cujus reſolutio in

plures

plures ſimplices, ex quibus conſtat, facilis eſt et aperta: et *implicite compoſitam*, ſeu ſenſu tantum, ubi nimirum latet compoſitio, nec facile poteſt ea in plures Simplices reſolvi.

Utramque ſubdividunt in varias ſpecies, *explicite compoſitam* communiter in ſex ſequentes, *copulativam*, *disjunctivam*, *conditionalem*, *cauſalem*, *relativam*, et *diſcretivam*.

Copulativa dicitur, inter cujus partes intercedit conjunctio copulativa, *et*, *atque*, &c. ut in hac, *Deus eſt ſupremus Author* et *Rector generis humani*: et in hac alia, *mens humana* et *corpus exiſtent poſt mundi hujus conflagrationem*: in exemplo priore, eidem ſubjecto tribuuntur prædicata duo per conjunctionem copulativam; compendii ſermonis gratia connexa; in poſteriore, prædicatum Idem ſubjectis diverſis ſimiliter connexis tribuitur.

Disjunctivam appellant, inter cujus partes intercedit particula disjunctiva, *aut*, *vel*, &c. ut in his, *aut Dies eſt* aut *nox*: *omnis Homo eſt* vel *probus* vel *improbus*.

Conditionalis dicitur, cujus partes connectuntur particula conditionali *ſi*, ut, *ſi mendacium lege divina vetitum ſit*, *meretur mortem æternam*; hujuſmodi Propoſitionum partem illam, in qua continetur conditio, particula *ſi* notata, (ut in exemplo allato, *ſi mendacium ſit lege divina vetitum*) appellant *antecedens*: pars altera, quæ ex priori ſequi intelligitur, (ut in exemplo eodem, *mendacium meretur mortem æternam*) *conſequens* dicitur.

Cau-

Cauſalis appellatur, cujus partes connectuntur particula cauſali *quia*, *quoniam*, &c. ut, quia *Alexander eſt filius Philippi tenetur Philipum honorare.*

Relativam vocant, in qua notatur reſpectus inter rem unam et aliam, vel plures, ut in his, qualis *rex* talis *ſubditus*: Qualis *herus* tales *ſervi.*

Diſcretivam denique appellant, in qua Oppoſitio debita inter judicia diverſa ſignificatur particula *ſed*, *tamen*, et iſtiuſmodi, ut apud poetam, *Non Formoſus erat*, ſed *erat facundus Ulyſſes.*

Etſi prædictæ Propoſitionum ſpecies compoſitæ, idque explicite, omnes habeantur; non tamen deſunt rationes, quæ ſolas *Copulativas* et *Diſcretivas* ita dicendas ſuadeant; quod in aliis proprie dicta compoſitio reperienda non ſit; nec in plures ſimplices, modo ſtricte loqui velimus, reſolvi poſſint: ſique paululum ipſis immorari velimus, facile id cernere erit.

Primo, in *Disjunctiva*, in qua Aſſeritur tantum disjunctio, adeo ut ſi vera ſit pars una; vera etiam ſit Propoſitio integra; cum nec de uno, nec de altero membro ſeorſim ſumpto prædicatum affirmetur vel negetur, ut in exemplis prius poſitis.

Patet *ſecundo*, in *Conditionali*, ubi tantum aſſeritur connectio inter duas partes, *Antecedens* ſcilicet et *Conſequens*, ut in trito iſto exemplo, *ſi aſinus habet alas*, *volat*, ubi nec aſſeritur Aſino competere alas, nec eum volare: Aſſeritur tantum connectio inter partes haſce duas, *habere*

alas, et *volare*; et ſenſu eodem redit cum hac, *omne habens alas volat.*

Tertio, in *Cauſali*, ubi tantum aſſeritur ratio propter quam prædicatum de ſubjecto Affirmatur vel negatur; ut in exemplo prius allato, ubi aſſeritur ratio, propter quam tenetur *Alexander Philippum* honorare: quod nimirum ſit ipſius filius, quæ ratio in Propoſitióne hac generali fundatur: *omnis filius patrem ſuum honorare tenetur:* quod et clarius cerni poterit, immutato aliquantulum exemplo priore, hoc pacto, *Alexander tenetur Philippum honorare, quia Philippus eſt ſplendida veſte amictus*, quæ Propoſitio falſam aſſignat rationem honoris debiti *Philippo:* quantumvis enim verum ſit teneri *Alexandrum* patrem ſuum *Philippum* honorare; non tamen ideo debetur ab ipſo honos hic, quod ſit *Philippus* ſplendidâ veſte amictus: unde et dicenda eſt integra iſta Propoſitio falſa, niſi veram quis dicere velit hanc, *omni ſplendidâ veſte amicto debetur Honos.*

Quarto, in *Relativa*, in qua aſſeritur tantum reſpectus inter rem unam et aliam, vel plures, ut in exemplis ſuperius allatis, quæ huc redeunt, *ſubditus eſt ſimilis regi*; *ſervi ſunt ſimiles Hero.*

Sunt et obſervanda quædam alia de membris Diviſionis prædictæ, quæ alio referentes, hic loci conſulto omittimus.

Propoſitionem *implicite compoſitam* ſubdividunt in *Excluſivam*, *Exceptivam*, *Comparativam*, *Inceptivam*, et *Deſitivam.*

Excluſivam iterum aliam ponunt ratione *prædicati*, qualis eſt hæc, *Petrus ſcribit tantum:* in quâ ita de *Petro* affirmatur *ſcribens*, ut ſimul

alia

alia omnia (actiones nimirum omnes, quales ſunt Loquela et iſtiuſmodi aliæ, de quibus intelligi ſupponitur Propoſitio iſta) de eo negentur: aliam ratione *ſubjecti*, ut in hac, *ſolus Deus abſolutum habet in homines imperium*, ubi non tantum *Deo* tribuitur *abſolutum in homines imperium*, ſed et ſimul de alio quovis illud negatur.

Exceptiva dicitur, in qua aliquid affirmatur vel negatur cum exceptione quadam notata particula *præter*, *præterquam*, et iſtiuſmodi, ut, *Apoſtolorum nemo periit* præter *Judam proditorem*, quæ his duabus æquivalet, *Judas proditor periit, et nullus alius Apoſtolus periit.*

Ex exemplis hiſce percipiet quivis levi mutatione tranſire Propoſitionem *Excluſivam* in *Exceptivam*; et viciſſim hanc in illam: ut ſi pro modo allata *Exceptiva* ponatur *Excluſiva* hæc, *ſolus Judas ex Apoſtolis periit*; ſique loco ſuperius allatæ *Excluſivæ* ponatur *Exceptiva* hæc, *nemo in homines abſolutum habet imperium* præter *Deum.*

Comparativam appellant, in qua, inſtituta inter plura comparatione, attributum de ſubjecto enunciatur in comparationis gradu aliquo ſupra (ut Loquuntur Grammatici) *poſitivum*, ut in hac, *Socrates fuit Græcorum ſapientiſſimus*, ubi non tantum de Socrate aſſeritur quod ſapiens fuerat; ſed ipſi ſimul tribuitur, præ Græcorum quovis alio, *ſapientiæ Gradus.*

Inceptivam et *Deſitivam* tanquam affines deſcribunt; illam dicentes, qua aliquid jam eſſe aſſeritur, quod prius non fuit, ut, *Inchoavi hodie*

die ſtudium Logicæ : hanc, qua ſignificatur aliquid jam non eſſe, quod prius fuit, ut in hac, *poſt Chriſti tempora, reſponſa dare deſierunt Ethnicorum oracula* : Exempla hæc et hujuſmodi alia facile in Propoſitiones plures reſolvet, qui rite perpenderit.

Propoſitionem dividunt ulterius *quinto*, in *puram* et *modalem* ; illa dicitur, in qua de ſubjecto nude (id eſt, abſque aſſignato modo convenientiæ vel diſcrepantiæ) affirmatur vel negatur prædicatum, ut in his, *Homo a Deo dependet*, *mundus non extitit ab æterno* : hæc, in qua non tantum aſſeritur prædicatum ſubjecto convenire, vel ab eo diſcrepare ; ſed et aſſignatur modus, quo ſubjecto illud convenit, vel ab eo diſcrepat ; ut in exemplis ſequentibus, *hominem eſſe a Deo dependentem eſt neceſſe* : *Philoſophum eſſe muſicum eſt contingens* : *Petrum eſſe Philoſophum eſt poſſibile* ; *Mundum ab æterno extitiſſe eſt impoſſibile*.

Ex exemplis hujuſmodi colligere ſolent Logici Propoſitionum Modalium ſpecies quatuor, ſtatuentes illarum quaſdam de (ut Loquuntur) *neceſſe* : alias de *contingente* : alias de *impoſſibili* : alias de *poſſibili*. Propoſitiones Modales de *neceſſe*, et *impoſſibili*, habendas volunt pro *univerſalibus* : de *contingente*, et *poſſibili*, pro *particularibus*.

In hujuſmodi propoſitionibus duo ponunt diſtinguenda, *dictum* et *modum* : Illud appellant quod locum tenet ſubjecti, ſive in initio an fine propoſitionis reperiatur : hoc, quod locum tenet prædicati, ut in ſuperius allato exemplo, *hominem eſſe a Deo dependentem* (propoſitionis utpote ſubjectum) nomen *dicti* obtinet : *neceſſe*

(propoſitionis prædicatum) nomen *modi.*

Sed his non vacat diutius immorari. *Progredimur ad*

CAP. III.

De Variis Argumentandi Formulis.

Sicut Judicia Noetica a mente formata aliis manifeſtamus Propoſitionibus, ſive Enunciationibus; ita Ratiocinia mente concepta *argumentandi formulis quibuſdam*, ſignis utpote externis *Judicii dianoetici*, ſive *Diſcurſus.*

Argumentandi formulæ hæ communiter ſex enumerantur, *Syllogiſmus*, *Enthymema*, *Inductio*, *Exemplum*, *Dilemma*, et *Sorites*; addunt nonnulli *Epichyrema*, quod dicere malunt alii *ſyllogiſmum Rhetoricum.*

Inter Argumentandi formulas has locum primum obtinet *ſyllogiſmus*, uſus utpote longe communiſſimi: hic autem, prout poſtea cernere erit, dividi ſolet in *ſimplicem* et *Compoſitam*: hæc omnia cum abſque articulorum diſtinctione diſtincte adeo tractari nequeant, ideo ſit

Articulus primus de ſyllogiſmo, ſimplice præſertim.

Obtinuit diu in ſcholis decantata iſta definitio ſyllogiſmi in genere, quod ſit *oratio, in qua quibuſdam poſitis, diverſum quid a poſitis neceſſario ſequitur, eo quod hæc ſint*; cujus particulas varias viva voce explicandas remittimus: accuratius dicitur ſyllogiſmus, *Argumentandi formula, in qua ex duabus propoſitionibus expreſſis*

tertia

tertia per neceſſariam conſequentiam infertur; ut in exemplo ſequente.

Omne Extenſum eſt diviſibile:
Omne Corpus eſt Extenſum:
Ergo omne Corpus eſt diviſibile.

Syllogiſmo tribuunt *materiam* et *Formam*; illam ſubdividunt in *proximam* et *Remotam*: ſyllogiſmi materia *Proxima*, ſeu illud ex quo immediate conficitur, ſunt tres propoſitiones, quarum duæ dicuntur *præmiſſæ*; tertia, quæ ex his infertur, *Concluſio*.

Materia *Remota*, ita dicta, quod inter hanc et ſyllogiſmum detur alia vicinior; ſunt tres Termini, illi nimirum ex quibus fiunt prædictæ tres propoſitiones: horum duo dicuntur *Extrema*, quod per tertium connectantur (ut dici ſolet) aut ſeparentur: Terminus tertius, ob hanc rationem, *Terminus medius*, vel ſimpliciter *medium*, appellatur.

Extrema hæc ſunt partes propoſitionis illius, quæ ante probationem *Quæſtio* dicitur, et præfixam habet interrogandi particulam, *an*, *num*, et iſtiuſmodi; poſt probationem *Concluſio* appellatur, et propoſitam habet Conjunctionem (ut dici ſolet) concluſivam *Ergo*.

Terminus is, qui eſt propoſitionis hujus ſubjectum, dicitur *minus Extremum*, vel *Terminus minor*; quod plerumque ſit minoris altero Extenſionis, nunquam majoris.

Terminus alter, qui prædicati locum tenet, appellatur *majus Extremum*, vel *Terminus major*; quod ſit plerumque majoris altero Extenſionis, nunquam minoris.

Ex

Ex tribus hiſce Terminis, varie diſpoſitis, totidem fiunt propoſitiones, quarum una dicitur *Major*, alia *Minor*, tertia *Concluſio*.

Propoſitio *major* (quæ et dicitur interdum ſimpliciter *Propoſitio*) eſt illa, in qua confertur majus Extremum cum Termino medio, quemcunque locum, quod ad ordinem Propoſitionum, obtineat: Propoſitio *minor*, dicta etiam *aſſumptio*, eſt illa, in qua confertur minus Extremum cum Termino medio; *Concluſio* denique continet duo illa Extrema inter ſe collata.

Syllogiſmi Forma eſt debita materiæ ipſius diſpoſitio: cumque, ut ſuperius dictum, duplex ſit ſyllogiſmi materia; hinc etiam ortum ducit Forma duplex, *figura*, et *modus*; ex quibus Judicandum an apta fuerit Terminorum in præmiſſis, et ipſarum præmiſſarum diſpoſitio, ad Concluſionem rite inferendam.

Figura materiam ſyllogiſmi remotam reſpicit, eſtque *apta Diſpoſitio Termini medii cum extremis in præmiſſis*.

Modus eſt debita diſpoſitio trium propoſitionum, ex quibus conſtat ſyllogiſmus, ſecundum Quantitatem et *Qualitatem*: per Propoſitionis *Quantitatem* intelligitur ipſius univerſalitas, vel particularitas: per *Qualitatem*, affirmatio vel negatio.

Ex dictis colligitur facile quaternarius Figurarum numerus, quod quatuor tantummodo diverſis modis poſſit Terminus medius cum Extremis diſponi in præmiſſis: vel enim *primo*, Terminus medius majori extremo ſubjicitur, et de minore prædicatur (vel quod eodem redit, eſt ſubjectum propoſitionis majoris, prædicatum minoris;) unde oritur *Figura prima*; vel *ſecundo*, de utroque Extremo prædicatur (ſive eſt prædicatum

dicatum utriuſque præmiſſæ;) atque hinc fit *Figura ſecunda*; vel *tertio*, utrique Extremo ſubjicitur (ſive eſt ſubjectum utriuſque præmiſſæ;) atque hinc oritur *Figura tertia*, ſecundum vulgatum iſtud *ſub. præ.* prima; bis *præ.* ſecunda; tertia bis *ſub*; vel denique *quarto* de majore extremo prædicatur, et minori ſubjicitur; ſive eſt prædicatum propoſitionis majoris, et ſubjectum minoris; atque hinc oritur *Figura* quarta *Galeni* dicta: quartam autem hanc figuram, quod non adeo frequens ſit, atque in ea modus concludendi non adeo habeatur naturalis, hic loci nominâſſe ſufficiat.

Modi ſyllogyſtici alii dicuntur *Indirecti*, in quibus ſcilicet non infertur Concluſio proxime ſequens ex præmiſſis, ſed alia ex hac ducta: ut ſi ex duabus præmiſſis ſequentibus,

Omne Extenſum eſt diviſibile:
Omnis lapis eſt Extenſus:
Inferatur hæc Concluſio,
Ergo aliquod diviſibile eſt Lapis.

Hæc autem ſequitur tantum ex Concluſione ſequente, quæ ex iis præmiſſis naturaliter et directe ſequitur.

Ergo Omnis Lapis eſt Diviſibilis.

Sed indirecti iſti modi exigui adeo ſunt momenti, ut notatu digni vix habeantur.

Modi *Directi*, ſive directe concludentes, quatuor aſſignantur Figuræ primæ; totidem ſecundæ; et ſex tertiæ; qui omnes vocibus quibuſdam fictis, quatuor ſequentibus verſiculis contentis, ſignari ſolent.

bAr-

bArbArA, cElArEnt, dArII, fErIO, dato primæ: 4

cEſArE, cAmEſtrEs, fEſtInO, bArOcO, ſecundæ: 4

Tertia dArAptI, ſibi vendicat atque fEllAptOn:

Adjungens dIſAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIſOn. 6 = 14

In vocabulis hiſce technicis, tres ſyllabæ in ſingulis reperiendæ notant tres propoſitiones ſyllogiſmi, cui tanquam ſigna præponuntur; ſyllaba prima, propoſitionem majorem: ſecunda, minorem: tertia, Concluſionem.

Syllabarum rurſus vocales ſunt *a*, *e*, *i*, *o*, quarum tres in ſingulis hiſce vocibus fictis reperiuntur, et ſignant propoſitionum, quibus ſunt præfixæ, *Quantitatem* (cujus nomine, ut prius notatum, intelligitur univerſalitas, vel particularitas) et *Qualitatem*, ſive, ut ſuperius dictum, affirmationem aut negationem.

Propoſitiones ſingulares, quod ipſarum ſubjecta ſumantur in tota Extentione (ſi extenſionis nomen mereatur) ſive latitudine quæ ipſis competit, pro univerſalibus, quantum ad regulas ſyllogiſticas ſpectat, habentur; vel quod eodem redit, regulæ ſyllogiſticæ eædem, ob modo datam rationem, et his et illis inſerviunt.

Quod ad propoſitiones *Indefinitas*, ſunt hæ, quod ad ſenſum, vel univerſales, ubi nimirum ipſarum ſubjecta, Termini univerſales, in tota ſua Extenſione ſumuntur, atque ideo propoſitionum univerſalium regulas obſervant; vel Particulares, ubi nimirum univerſales illi Termini, ipſarum ſubjecta, ſummuntur in parte tantum

ſuæ Extenſionis; ac proinde propoſitionum particularium regulæ hoc in Caſu iis inſerviunt.

His poſitis, Doctrinæ ordo exigere videtur, ut regulas de ſyllogiſmis rite conficiendis tradamus, harum demonſtrationes, quod a Tyronibus facile capi nequeant, alio remittentes.

Regulæ hæ vel ſunt Generales, ita dictæ quod Figuris omnibus ſint communes; vel Speciales, ſingulis ſc. Figuris propriæ.

Regulas generales tradunt alii plures, alii pauciores; maxime notandi ſunt ſequentes.

Regula prima.

In Syllogiſmo poni debent tres Termini, nec plures, nec pauciores.

Regula ſecunda.

Medius Terminus debet ſemel ſaltem ſumi univerſaliter, ſive in tota ipſius Extenſione, vel (quod eodem redit) Terminus medius bis particulariter ſumi nequit.

Regula tertia.

Termini Concluſionis univerſalius, ſive in majore Extenſione ſumi non debent in ipſa concluſione, quam in præmiſſis ſumebantur.

Regula quarta.

Debet altera ſaltem præmiſſarum eſſe affirmativa: vel prout aliis verbis tradi ſolet, ex utraque præmiſſa negativa nihil concluditur.

Regula quinta.

Si utraque præmiſſa fuerit affirmativa, debet etiam Concluſio eſſe affirmativa.

Regula ſexta.

Concluſio debet ſequi partem debiliorem, debilior autem pars intelligitur, propoſitio Negativa, ſi inter hanc et Affirmativam inſtituatur comparatio; particularis item, ſi cum univerſali comparetur; ſenſus igitur regulæ huc redit; Si altera præmiſſarum fuerit Negativa, debet etiam Concluſio eſſe Negativa; ſi altera fuerit Particularis, debet etiam Concluſio eſſe Particularis.

Regula ſeptima.

Ex utraque præmiſſa particulari nihil ſequitur.

Præter regulas haſce generales, ſingulis figuris aſſignantur regulæ Speciales ipſis propriæ.

Figuræ Primæ

Duæ ſequentes.

Reg. prima. Propoſitio minor debet eſſe affirmativa.

Reg. ſecunda. Propoſitio major debet eſſe univerſalis.

Regulæ ſpeciales figuræ ſecundæ ſunt duæ ſequentes.

Reg. prima. Altera præmiſſarum debet eſſe negativa.

Reg. ſecunda. Major debet eſſe univerſalis.

Figuræ etiam tertiæ ſunt regulæ ſpeciales duæ.

Reg. prima. Minor debet eſſe affirmans.
Reg. ſecunda. Concluſio debet eſſe particularis.

Traditâ Doctrinâ de ſyllogiſmis rite fabricandis, Tyronum gratia, addere convenit ſyllogiſmorum in variis Modis harum trium Figurarum Exempla, quod ut ordine fiat, ſequuntur

Exempla modorum

Figuræ primæ.

bAr Omnis Creatura ratione prædita eſt legi divinæ ſubjecta.
bA Omnis Homo eſt Creatura ratione prædita:
rA Er. Omnis Homo eſt Legi divinæ ſubjectus.

cE Nulla ſubſtantia Extenſa eſt Cogitationis Capax.
lA Omne Corpus eſt ſubſtantia Extenſa;
rEnt Er. Nullum Corpus eſt Cogitationis capax.

dA Omne noxium eſt fugiendum:
rI Aliquod ludi genus eſt noxium;
I Er. Aliquod ludi genus eſt fugiendum.

fE Nullus avarus eſt beatus:
rI Aliquis opibus abundans eſt avarus;
O Er. Aliquis opibus abundans non eſt beatus.

Ex-

Exempla Modorum

Figuræ Secundæ.

cE Nullus aperte flagitioſus eſt Deo acceptus:
sA Omnis ſincere pius eſt Deo acceptus:
rE Er. Nullus ſincere pius eſt aperte flagitioſus.

cA Omnis Homo eſt ſubſtantia compoſita ex corpore et mente unitis:
mEs Nullus Angelus eſt ſubſtantia compoſita ex corpore et mente unitis:
trEs Er. Nullus Angelus eſt Homo.

fEs Nihil ſanitati noxium eſt appetendum:
tI Aliquod medicamenti genus eſt appetendum:
nO Er. Aliquod medicamenti genus non eſt ſanitati noxium.

bA Omnis vera Propoſitio eſt Divinæ Revelationi conſona:
rO Quædam apud Ethnicos tanquam axiomata recepta non ſunt Divinæ Revelationi conſona:
cO Er. Quædam apud Ethnicos tanquam axiomata recepta non ſunt veræ Propoſitiones.

Exempla Modorum

Figuræ Tertiæ.

dA Omnis Angelus eſt ſubjectus Legi Divinæ:
rAp Omnis Angelus eſt naturæ elevatæ ſupra
9 humani generis ſortem:
tI Er. Aliquid naturæ elevatæ ſupra humani generis ſortem eſt ſubjectum Legi Divinæ.

fE Nulla regiminis humani ſpecies caret ſuo incommodo:
10 lAp Omnis regiminis humani ſpecies eſt bono publico deſtinata:
tOn Er. Aliquid deſtinatum bono publico non caret ſuo incommodo.

dI Quædam actiones in literis ſacris damnatæ ab Ethnicis laudabantur:
11 sA Omnes actiones in literis ſacris damnatæ ad æternam ducunt miſeriam;
mIs Er. Quædam ad æternam ducentia miſeriam ab Ethnicis laudabantur.

dA Omnis vere Religioſus eſt cæleſtis Diadematis Hæres:
12 tI Quidam vere Religioſus eſt in hac vita Egenus:
sI Ergo quidam in hac vita Egenus eſt cæleſtis Diadematis Hæres.

bO Quædam ludorum genera non ſunt licita:
13 cAr Omne ludi genus recreatio dicitur:
dO Er. Quædam recreationes dicta non ſunt licita.

fE Nihil animæ immortali noxium eſt appetendum:
14 rI Quædam animæ immortali noxia ſunt ſenſibus grata:
sOn Er. Quædam ſenſibus grata non ſunt appetenda.

Si inter Figuras has tres inſtituatur comparatio, merito aliis præfertur *prima*, quod in hac non tantum maxime naturalis videatur Terminorum diſpoſitio, et concluſionis illatio ex præmiſſis facillime innoteſcat; ſed et quod in eâ omnia concluſionum genera reperiantur, ſive fuerint hæ *univerſales* an *particulares*, *affirmantes* an *negantes*: in Figura autem *ſecunda* nulla reperitur concluſio *affirmans*; in *tertia* nulla *univerſalis*.

Nequis autem decipiatur ex regularum ſpecialium, quæ ſuperius traditæ ſunt, obſervatione, in fabricandis ſyllogiſmis *primæ* hujus Figuræ, aut etiam *ſecundæ*, *Cautionem* unam aut alteram in regulas ſpeciales hic loci addere lubet.

CAUTIO Prima

In regulam ſpecialem primam

Figuræ Primæ.

Stabilitam ſupponimus Figuræ hujus regulam ſpecialem primam: *Minor debet eſſe affirmativa:* Operæ pretium tamen duximus, hic loci Notâſſe quaſdam eſſe Propoſitiones, quæ ſi ſolitarie et abſque reſpectu ad alias ſpectentur, non tantum videntur, (ut Logici fere omnes loqui amant) ſed et re vera ſunt negativæ; ſin conſideretur reſpectus quem habere ſupponuntur ad Propoſitiones quaſdam alias, pro affirmativis merito ſunt habendæ; ut in Propoſitione minore ſyllogiſmi ſequentis.

Quod non eſt Corporeum non eſt ſenſibus obvium:
Mens humana non eſt Corporea:
Er. Mens humana non eſt ſenſibus obvia.

Cujus ſyllogiſmi Propoſitio minor non tantum apparet, ſed revera eſt negativa, ſi ſolitarie ſpectetur; ſin conſideretur reſpectus quem habet ad ſyllogiſmi hujus majorem, merito habetur pro affirmativa; Propoſitionis quippe majoris ſubjectum, qui eſt Terminus medius (quique proinde, ſecundum prius tradita de Diſpoſitione Termini medii in prima hac Figura, neceſſario debet minoris prædicatum fieri) ſubjectum hoc, inquam, non eſt *Corporeum*, ſed *non Corporeum*, ſive *quicquid non eſt Corporeum*; hoc autem

autem *non Corporeum* convenire asseritur subjecto Propositionis minoris, non ab ea discrepare; unde nec, considerato prædicto respectu, haberi debet negativa, sed affirmativa; atque hinc est quod minoris istius sensus hic dicatur;

Mens humana est ex illarum rerum numero, quæ non sunt Corporeæ, vel quæ sunt res non Corporeæ.

Quodque Propositio hæc sit affirmativa constans prædicato negativo, quale est etiam majoris subjectum, vix in dubium vocabitur: ulterioris utcunque illustrationis gratia prædictum syllogismum reducere lubet ad formam sequentem, licet non usitatam.

De quocunque vere negari potest attributum hoc Corporeum, illud non est sensibus obvium:
Sed de mente humana vere negari potest attributum hoc Corporeum:
Er. Mens humana non est sensibus obvia.

CAUTIO Secunda

In regulam specialem Eandem.

Est et Cautio alia non minus notanda, ne quis in prædictæ regulæ specialis applicatione erret, quod sc. fieri possit, ut syllogismus in prima Figura rite concludat, licet minor solitarie considerata sit negativa, modo Propositio major sit exclusiva, ut in sequente exemplo.

Soli credentes in Christum servabuntur:
Sed aliqui profitentes Religionem Christianam non credunt in Christum:
Er. Aliqui profitentes Religionem Christianam non servabuntur.

Ubi particula *ſoli* Efficit, ut Propoſitio major, quæ ideo eſt implicite compoſita, his duabus æquipolleat.

Credentes in Chriſtum ſervabuntur :
Et
Non credentes in Chriſtum (ſive cæteri qui non credunt) non ſervabuntur.

Atque ex hac poſteriore pendet argumenti vis, ut huc redeat integer ſyllogiſmus prædictus.

Qui non credunt in Chriſtum non ſervabuntur :
Sed Aliqui profitentes Religionem Chriſtianam non credunt in Chriſtum :
Er. Aliqui profitentes Religionem Chriſtianam non ſervabuntur.

Ubi, ut in *Cautione priore*, *majoris* ſubjectum non eſt Credentes in Chriſtum, ſeu qui credunt in Chriſtum, ſed Non Credentes, ſeu qui non credunt in Chriſtum ; cumque ex requiſita Diſpoſitione Termini medii cum extremis in *prima* hac Figura, debeat idem fieri minoris prædicatum, hoc in ea afferitur convenire cum minoris ſubjecto, non ab eo diſcrepare ; ob quam rationem patet Propoſitionem minorem, etſi ſolitarie conſiderata re vera ſit negativa, habendam pro affirmativa, ſi conſideretur reſpectus, quem habet ad Propoſitionem majorem ; quod et adhuc clarius fiet, ſi, ut in ſuperiore Exemplo, ad hanc reducatur formam.

Aliqui profitentes Religionem Chriſtianam ſunt ex illorum numero qui non credunt in Chriſtum.

CAUTIO Tertia

In regulam ſpecialem primam

Figuræ ſecundæ.

Eſt et periculum ne quis fallatur in applicanda regula hac ſpeciali, *debet altera præmiſſarum eſſe negativa*: niſi advertat videri propoſitiones quaſdam eſſe affirmativas, quæ tamen, ob Excluſivas, quæ in ipſis reperiuntur, voces, includunt Propoſitiones negantes, quarum, quod ad argumenti vim, præcipua, ſi non ſola ratio habetur; ut cernere erit in ſyllogiſmo ſequente, qui forte videri poterit ex omnibus affirmantibus in Figura *ſecunda* conſtare, adeoque in datam Figuræ hujus regulam ſpecialem peccare.

Omnis vere pius ſincere ſtudet Dei gloriam promovere:
Pauci hoc ſeculo ſincere ſtudent Dei gloriam promovere:
Er. Pauci hoc ſeculo ſunt vere Pii.

Cujus ſyllogiſmi Propoſitio minor, cum, ob vocem hanc *Pauci*, ſit Excluſiva, ac proinde implicite compoſita, his duabus Equivalet:

Aliqui hoc ſeculo ſincere ſtudent Dei Gloriam promovere:
Et
Multi hoc ſeculo non ſincere ſtudent Dei Gloriam promovere.

Cumque ex hac poſteriore pendeat Argumenti vis, infertur concluſio etiam ſenſu negativa ad hanc formam reducenda.

Er. Multi hoc ſeculo non ſunt vere Pii.

Ut ſi Notetur Argumenti vis, huc redeat integer ſyllogiſmus.

Omnis vere pius ſincere ſtudet Dei Gloriam promovere:
Multi hoc ſeculo non ſincere ſtudent Dei Gloriam promovere:
Ergo, Multi hoc ſeculo non ſunt vere Pii.

Syllogiſmi varias afferunt Logici Diviſiones, quarum quæ ab ipſius materia deſumuntur (cujuſmodi eſt illa, in *Demonſtrativum*, et *Dialecticum*, ſeu *Probabilem*,) Animus non eſt hic loci attingere, dum Argumentandi formulis deſcribendis et illuſtrandis incumbimus.

Inter Diviſiones, quæ a ſyllogiſmi formâ ducuntur, primum locum obtinet illa, in *ſimplicem*, dictum etiam *Categoricum*, et *Compoſitum*.

Syllogiſmum *ſimplicem* dicunt communiter illum, in quo Terminus medius cum uno tantum extremorum in Propoſitione una comparatur; accuratius forte ob rationes alibi dandas ſyllogiſmus ſimplex eſt, *in quo in Propoſitione eadem non reperiuntur Termini plures duobus*; ut in exemplis ſuperius allatis, atque de hoc ſyllogiſmorum genere hactenus Egimus.

Syllogiſmum *Compoſitum* dicere ſolent illum, in quo Terminus medius cum utroque extremo in Propoſitione una comparatur; accuratius, *in quo in Propoſitione eadem reperiuntur omnes tres Termini*, *Major* ſcilicet, *Minor*, et *Terminus medius*.

Syllogiſmum *Simplicem*, ſeu *Categoricum*, ſubdividere ſolent in *Incomplexum*, cujus Propoſitiones omnes ſunt Incomplexæ, ut in hoc,

Omnis

Omnis Spiritus eſt ſubſtantia:
Omnis Angelus eſt Spiritus:
Er. Omnis Angelus eſt ſubſtantia.

Et *Complexum*, Cujus una vel plures propoſitiones ſunt Complexæ, quales ſunt quas tanquam Exempla modorum attulimus in tribus figuris, atque hoc ideo factum, ut ſyllogiſmis Complexis fabricandis ſemet aſſuefaciant Tyrones, quod inter Argumentandum raro admodum occurrunt ſyllogiſmi incomplexi, quales in modorum exemplis communiter poni ſolent.

Membrorum hujus diviſionis Explicationem aliam a Recentioribus quibuſdam traditam alibi proponendam remittimus.

Syllogiſmum *Compoſitum*, dictum etiam *Conjunctivum*, ſubdividunt communiter in tres ſpecies, *Conditionalem* ſcilicet, *Disjunctivum*, et *Copulativum*.

De quorum ſingulis pauca dicemus Articulis diſtinctis.

ARTICULUS Secundus

De ſyllogiſmo Conditionali.

Syllogiſmus *Conditionalis*, ſive *Hypotheticus* dicitur, cujus propoſitio major eſt Conditionalis, includens (ut dictum Capite præcedente) partes duas, quarum prior appellatur *Antecedens*, et poſterior *Conſequens*; ut in ſequente Exemplo.

Si Homo Cogitat, eſt in Homine Cogitandi principium:
Sed Homo Cogitat:
Er. Eſt in Homine Cogitandi principium:

Vel prout brevitatis gratia exprimi ſolent Minor et Concluſio.

Sed verum eſt prius:
Ergo et poſterius.

Et in hoc alio.

Si mundus ab æterno exiſtebat eſt infinite perfectus:
Sed Mundus non eſt infinite perfectus:
Ergo Mundus non exiſtebat ab æterno.

Vel brevitatis gratia.

Sed falſum poſterius:
Ergo et prius.

In *Conditionalibus* his ſyllogiſmis, vel proceditur a *poſitione*, ut dici ſolet, ſive *affirmatione antecedentis*, ad poſitionem ſive affirmationem *Conſequentis*, ut in Exemplo priore; vel a remotione ſive negatione *Conſequentis* ad Remotionem ſive negationem *Antecedentis*, ut in poſteriore, ſecundum vulgatum iſtud.

Poſito Antecedente ponitur Conſequens.
Sublato Conſequente tollitur Antecedens.

Habentur modi hi procedendi, pro regulis ſyllogiſmorum Conditionalium, ita ut vitioſus ſit cenſendus ſyllogiſmus quivis Hypotheticus, procedens a poſitione Conſequentis ad poſitionem Antecedentis, vel a remotione Antecedentis ad remotionem Conſequentis. Hic autem, ut prius, in regulas ſpeciales ſyllogiſmorum ſimplicium convenit obſervationem unam aut alteram addere in modos procedendi, qui, ut dictum, inſerviunt vice regularum Syllogiſmorum Conditionalium.

Obſervandum itaque *primo* merito interdum cenſeri, poni, ſive affirmari Antecedens, dum pro-

propoſitio minor, in qua reperitur, eſt negativa, ſi ſolitarie ſpectetur, abſque ſcilicet reſpectu ad majorem Conditionalem, quæ præceſſiſſe ſupponitur, ut,

Si Adamus non præſtitit debitam obedientiam Legi Divinæ, fuit obnoxius pœnæ a Deo Denunciatæ:
Sed Adamus non præſtitit debitam obedientiam Legi Divinæ:
Er. Adamus fuit obnoxius pœnæ a Deo Denunciatæ.

Ubi licet Minor, in qua reperitur antecedens propoſitionis majoris, ſit negativa, ſi ſolitaire conſideretur, merito tamen in propoſitione hac minore cenſetur poni, ſive affirmari antecedens; non enim eſt illud, *Adamus præſtitit*, &c. ſed *Adamus non præſtitit debitam Obedientiam Legi Divinæ*; atque illud idem eſt quod in propoſitione minore aſſeritur.

Obſervandum ſecundo, *Removeri* interdum ſive negari Conſequens, dum Minor, in qua reperitur, ſeorſim et ſolitarie conſiderata, eſt affirmativa, ut in Exemplo ſequente.

Si mens humana eſt res Corporea non eſt ſubſtantia Cogitativa:
Sed mens humana eſt ſubſtantia Cogitativa:
Er. Mens Humana non eſt res Corporea.

Ubi Minor, licet, ſi ſolitaire conſideretur, abſque reſpectu ad præcedentem propoſitionem majorem, ſit re vera affirmativa, merito tamen Cenſetur *Remotio*, ſive *Negatio* illius, quod eſt Conſequens Majoris Conditionalis, cum ipſi Contradicat; Conſequens enim illud non eſt

Mens

Mens Humana, &c. ſed *Mens Humana non eſt ſubſtantia cogitativa*, cui contradicit ſyllogiſmi modo allati Minor affirmans.

Obſervandum *tertio* Conſequenter ad prius dicta in Obſervatione *ſecunda* in Regulam *primam* ſpecialem Figuræ *primæ*, ſyllogiſmorum ſimplicium efficere particulam *Excluſivam*, eamque interdum ſubintellectam, ut videatur ſyllogiſmus Conditionalis in datas regulas peccare, qui tamen Legitime procedit, ut in Exemplo ſequente.

Si Joannes Baptiſta fuit reus criminis morte puniendi, tum tantum potuit Jure Capite plecti:

Sed Joannes Baptiſta non fuit reus criminis morte puniendi.

Er. Joannes Baptiſta non potuit Jure Capite plecti.

Ubi particula *tantum* (quæ etiam, ut attendenti patebit, ſupprimi poterit) efficit ut propoſitio major his duabus æquipolleat.

Si Joannes Baptiſta fuit reus Criminis morte puniendi, potuit Jure Capite plecti:

Et,

Si Joannes Baptiſta non fuit reus Criminis morte puniendi, non potuit Jure Capite plecti.

Cumque ex propoſitione hac poſteriore pendeat argumenti vis, hæc ſola conſideranda venit tanquam ad dictum ſyllogiſmum ſpectans, in Minore autem ponitur hujus Antecedens, ſive aſſeritur ipſius veritas, Minor quippe hæc fuit.

Joannes Baptiſta non fuit reus Criminis morte puniendi.

Unde

Unde et in Concluſione ponitur prædictæ propoſitionis Conditionalis Conſequens, ſive aſſeritur Conſequentis veritas.

Er. Joannes Baptiſta non potuit Jure Capite plecti.

Argumentandi formulæ huic ulterius Illuſtrandæ conducere poſſe autumamus, notaſſe ſyllogiſmorum Conditionalium uſum, *primo* quod ad eos, qui procedunt a poſitione Antecedentis ad poſitionem Conſequentis, huic plane uſui inſerviunt, ut de ſententia ſua deducatur adverſarius, contra quem quis arguit, dum negat is propoſitionem veram ab opponente prolatam; utitur nimirum hoc in Caſu Opponens ſyllogiſmo conſtante majore Conditionali, cujus Antecedens eſt ita aperte verum, ut ſupponi poſſit non etiam illud negaturum adverſarium, idque in hunc finem, ut antecedente hoc conceſſo teneatur etiam Adverſarius veram agnoſcere propoſitionem prius a ſe negatam, quod ex prius conceſſo antecedente ſequatur, cum ſit Majoris iſtius Conſequens.

Exemplo rem hanc illuſtrare lubet, ſi quis negaverit propoſitionem hanc, *Mundus regitur providentia*, ſupponi non etiam eum negaturum, *Eſſe Deum*: Mundi autem regimen per providentiam arctam adeo habet cum Exiſtentia divina Connectionem, ut hoc conceſſo non poſſit illud negare, unde ita formatur argumentatio.

Si Deus eſt, Mundus regitur providentia:
Sed Deus eſt:
Er. Mundus regitur providentia.

Quod ad Syllogiſmos Conditionales, *ſecundo* modo procedentes, a Remotione, ſc. ſive negatione Conſequentis, ad remotionem ſive negationem

tionem antecedentis; inſerviunt hi detegendæ falſitati propoſitionis ab adverſario prolatæ tanquam veræ; vel ad modum Theſeos, quæ impugnanda venit, propoſitæ: hoc in Caſu utitur Opponens ſyllogiſmo Conditionali, cujus propoſitionis majoris antecedens eſt falſa iſta propoſitio ab adverſario tanquam vera prolata, Conſequens ita aperte falſum et abſurdum, ut ſupponi poſſit non etiam illius veritatem aſſerturum Adverſarium; idque in hunc finem, ut ſi agnoſcat Conſequentis hujus falſitatem, agnoſcere etiam teneatur falſam eſſe propoſitionem, quam prius tanquam veram protulerat; quod ſit hæc majoris illius antecedens, ſitque apud omnes receptum vulgatum iſtud axioma, *Ex veris nil niſi verum.*

Hanc etiam obſervationem exemplo illuſtrabimus, Si quis tanquam veram protulerit propoſitionem hanc, *Juſtitia eſt ex operibus Legis:* ſupponi poterit eum (modo ex illorum numero fuerit qui Chriſtianam profitentur fidem) non etiam aſſerturum, *Chriſtum fruſtra mortuum eſſe:* hoc autem ita aperte ſequitur ex propoſitione iſta alia, ut ſi hujus falſitatem agnoſcat, agnoſcere etiam teneatur falſam eſſe propoſitionem, quam prius tanquam veram, atque ideo a ſe ſuſtinendam protulerat; hinc ita formatur argumentatio.

Si Juſtitia ſit ex operibus Legis, Chriſtus fruſtra mortuus eſt:
Sed Chriſtus non fruſtra mortuus eſt:
Er. Juſtitia non eſt ex operibus Legis.

Vel brevitatis gratia.

Sed falſum poſterius:
Er. et prius.

Ex

Ex dictis facile percipiet quivis in ſyllogiſmis hiſce Hypotheticis, notandam præcipue propoſitionis Conditionalis ſequelam, ſive Conſequentiam: an ſcilicet ſit arctus adeo nexus inter partes ipſius duas, ut ex Antecedente neceſſario ſequitur Conſequens: ſive an ſuppoſita veritate Antecedentis, recte inferri poſſit eſſe item Conſequens verum.

Tradi ſolent nonnulla de ſyllogiſmis aliis Conditionalibus, quorum propoſitiones omnes ſunt Conditionales: ut in Exemplis ſequentibus.

Si Petrus eſt e numero ſubditorum Britannicorum tenetur Juſtis ſereniſſimi Regis Georgii mandatis obtemperare:
Sed ſi Petrus in Britanniæ Regno fixam habet Domicilii ſedem, eſt e numero ſubditorum Britannicorum:
Er. Si Petrus habet in Britanniæ Regno fixam Domicilii ſedem, tenetur Juſtis Seremiſſimi Regis Georgii mandatis obtemperare.

Sed cum ad ſyllogiſmum Conditionalem ſufficiat major ſola Conditionalis, hiſce aliis non immoramur. *Sequitur*

ARTICULUS Tertius

De ſyllogiſmo Disjunctivo.

Syllogiſmus Disjunctivus dicitur, Cujus propoſitio major eſt Disjunctiva; ut in Exemplo ſequente.

Spiritus vel eſt res Cogitativa vel Extenſa:
Sed non eſt res Extenſa:
Er. Eſt res Cogitativa.

Ubi, ut patet, proceditur a remotione partis unius ad poſitionem alterius.

In majore autem Disjunctiva reperiuntur interdum membra plura duobus, quo in caſu proceſſus fieri poterit, vel *primo*, a remotione partium omnium, excepta una, ad poſitionem unius iſtius partis, ut in exemplo ſequente.

Vel eſt Ver, vel Æſtas, vel autumnus, vel Hyems:
Sed nec eſt Ver, nec Æſtas, nec Autumnus:
Ergo eſt Hyems.

Vel *ſecundo*, a negatione partis unius, ad Disjunctivam poſitionem reliquarum: ita ſuppoſita priore Majore Disjunctiva ſubſumi poterit.

Sed non eſt Ver:
Er. Eſt vel Æſtas, vel Autumnus, vel Hyems.

Vel *tertio*, a negatione partium plurium una, ita ut etiam partes plures una ſint reſiduæ ad disjunctivam poſitionem reliquarum, ut ſi ſubſumatur.

Sed nec eſt Ver, nec Æſtas:
Atque inde inferatur concluſio.
Er. Vel eſt Autumnus, vel Hyems.

Contendunt nonnulli rite procedere ſyllogiſmum disjunctivum, a poſitione unius partis ad negationem alterius, vel reliquarum: a disjunctiva etiam poſitione partium plurium unâ ad negationem reliquarum, ſi plures una fuerint: ut ſi ſuppoſita prædicta Majore disjunctiva, ita procedatur.

Sed eſt Hyems:
Er. Nec eſt Ver, nec Æſtas nec Autumus.
Vel,
Sed eſt vel Autumnus, vel Hyems:
Er. Nec eſt Ver, nec Æſtas.

Liçet

Licet a Logicis pleriſque legitimus pronuncietur modus hic procedendi, a poſitione partis unius ad negationem alterius, ubi ſunt partes tantum duæ, vel reliquarum, ſi plures fuerint; a disjunctiva etiam poſitione partium quarundam ad negationem aliarum; concedunt tamen ipſi naturalem adeo non eſſe hunc modum procedendi.

Sin penitius hanc rem quis examinaverit, percipiet merito rejiciendum, quod ad formam ſpectat, quantumvis interdum ratione materiæ concluſio vera ex præmiſſis, ita diſpoſitis, ſequatur; in Majore quippe disjunctiva non negatur utramque partem (judicandum ſimiliter de omnibus, ſi pluries fuerit duabus) poſſe ſimul eſſe veram: negatur tantum fieri poſſe, ut utraque (vel omnes, ſi plures fuerint) ſit ſimul falſa: ita rite procedit ſequens ſyllogiſmus.

Is qui acquiſivit accuratam in Linguis et artibus liberalibus peritiam, vel eſt ingenii felicis, vel ſeriam valde adhibuit ſtudiis operam.

(Sed non eſt felicis ingenii:)

Er. ſeriam valde adhibuit ſtudiis operam.

Nequaquam autem rite procederet ſyllogiſmus hic, ſi minor foret,

Sed eſt felicis ingenii:

Et inde concluderetur,

Er. ſeriam valde operam ſtudiis non adhibuit.

Nec,

Sed ſeriam valde operam ſtudiis adhibuit:

Ergo non eſt ingenii felicis.

Nihil enim impedit, quo minus ſit idem ingenii felicis, et ſeriam ſimul navet ſtudiis operam.

Qui

Qui aliter cenſent, communiter ſuper his recepta in omnibus ſectantes, exigunt tanquam conditiones ad ſyllogiſmum Legitimum disjunctivum requiſitas, *primo*, Ut membra ſint immediate inter ſe oppoſita, ita ſc. ut ſe mutuo ponant, ac tollant, ut nimirum rejecto altero, neceſſario alterum ſtabiliatur, et viciſſim ſtabilito altero, alterum rejiciatur. *Secundo*, Ut, ſi plura fuerint duobus, plena fiat membrorum omnium enumeratio; ſed cuivis attendenti planum fiet, conditiones has ad Argumentandi materiam, non ad formam, de qua impræſentiarum agitur, ſpectare. Progredimur ad

ARTICULUM Quartum

De ſyllogiſmo Copulativo.

Syllogiſmus *Copulativus* eſt, cujus Propoſitio major eſt copulativa negans, ut in exemplo.

Nemo ſimul ſervit Deo et Luxui:
Sed Vir Pius ſervit Deo:
Er. Vir Pius non ſervit Luxui.

Hujuſmodi ſyllogiſmi tum demum rite concludunt, ubi altera pars propoſitionis Majoris negativæ in Minore ſtabilitur, ſive affirmatur, ut altera pars in Concluſione rejiciatur, ſive negetur: non e contra, ubi pars altera in Minore tollitur, ſive negatur, ut altera in Concluſione ſtabiliatur, ſive affirmetur: prout cernere poterit quivis, ſi ſuppoſita modo allata Majore, hunc in modum procedere aggrediatur.

Sed Avarus non ſervit Luxui:
Er. Avarus ſervit Deo.

Dictum

Dictum in ſyllogiſmi copulativi deſcriptione, cujus major propoſitio eſt copulativa negans, omnino quippe ridiculum foret, ſi quis ex Majore copulativa affirmante, et Propoſitione alia Minoris loco, Concluſionem ducere velit hunc in modum.

Paulus fuit Doctus et Pius:
Sed Paulus fuit Doctus:
Er. Paulus fuit Pius.
Vel,
Ergo Paulus non fuit Pius.

Diximus ſuperius præter ſyllogiſmum, alias enumerari Argumentandi formulas, *Enthymema* ſcilicet, *Inductionem*, *Exemplum*, *Dilemma*, et *Soritem*, quibus addunt nonnulli *Epichyrema*: Formulæ autem hæ, ut rite perpendenti patebit, ad ſyllogiſmum (nonnulli ad unum, alii ad plures) reduci poſſunt omnes: De harum ſingulis pauca dicemus. Quare ſit

ARTICULUS Quintus

De Enthymemate.

Non aliud eſt *Enthymema*, quam *ſyllogiſmus, cujus altera præmiſſarum reticetur*: cumque in Argumentandi formula hac duæ tantum Propoſitiones expreſſæ reperiantur; illarum prior dicitur *Antecedens*, illa nimirum, ex qua, et propoſitione ſubintellecta, alia infertur; poſterior, quæ *conſequens* appellatur, illa eſt, quæ ex antecedente et ſubintellecta propoſitione infertur, ut in hoc exemplo.

Omne Corpus eſt extenſum:
Ergo, Omne Corpus eſt Diviſibile.

Utque

Utque intelligatur utra præmiſſarum ſyllogiſmi in Enthymemate ſupprimatur, afferri ſolet regula hæc, *ſi in antecedente reperiatur concluſionis* (quæ in Enthymemate *Conſequens* dicitur) *ſubjectum, ſupprimitur propoſitio major*, ut in exemplo modo allato, ubi ſubintelligitur hæc:

Omne extenſum eſt Diviſibile.

Sin in antecedente Concluſionis, ſive Conſequentis, expreſſum reperiatur prædicatum, ſupprimitur propoſitio minor, ut in hoc.

Quicquid eſt a Deo revelatum eſt verum:
Er. Mundum fuiſſe conditum ſpatio ſex dierum eſt verum:
Ubi minor hæc ſupprimitur.
Sed mundum fuiſſe conditum ſpatio ſex dierum eſt a Deo revelatum.

Agnoſcendum tamen occurrere interdum Enthymemata in quibus nec reperitur in *Antecedente*, Concluſionis, ſivè Conſequentis ſubjectum, nec prædicatum, quale eſt hoc.

Deus eſt Verax:
Er. Nullus electorum peribit.

Hujuſmodi Enthymemata reducunt communiter ad ſyllogiſmos Hypotheticos, ſive Conditionales, ſupplendo Majorem conditionalem, eodem cum Enthymemate, antecedente et conſequente conſtantem; ita Enthymema prædictum ad hunc Hypotheticum reducunt.

Si Deus eſt Verax, nullus electorum peribit:
Sed Deus eſt Verax:
Er. Nullus electorum peribit.

ARTICULUS Sextus
De Inductione, et *Exemplo.*

Inductio *dicitur Argumentandi formula, in qua ex plena enumeratione partium totius alicujus, vel inferiorum Termini universalis, infertur Conclusio de ipso toto*, vel *universali Termino*, ut in hoc exemplo, de toto et partibus.

Libri et veteris et novi Testamenti sunt Divinæ Autoritatis:
Er. Tota scriptura sacra est Divinæ Autoritatis.

Et in hoc alio, de Termino universali et ipsius inferioribus.

Omnis Homo simul et omne brutum est substantia:
Ergo omne animal est substantia.

Exemplum dicitur Argumentandi formula, *in qua ex una vel pluribus singularibus instantiis propter rationem similem infertur conclusio* de simili alio, ut in vulgato hoc exemplo.

Cæsar inimico Ciceroni pepercit; quidni ergo Catoni?

Argumentandi formula hac frequenter utuntur oratores; raro Philosophi, nec re vera rite concludit exemplum quidvis, nisi ratio, quæ in una vel pluribus instantiis reperitur, eadem omnino fuerit in altera, vel omnibus, ut in hoc.

Abrahamus justificatus est fide:
Ergo omnes electi fide justificabuntur.

Quod rite concludet non adeo ratione formæ, quam quod in salvandis electis eadem sit justificationis ratio.

Diximus ſuperius Argumentandi formulas has ad ſyllogiſmum unum, vel plures reduci poſſe, atque hactenus oſtendimus, non aliud eſſe Enthymema, quam ſyllogiſmum, cujus altera præmiſſarum reticetur.

Quod ad duas has Argumentandi formulas *Inductionem* et *Exemplum*; eas ob rationem ſtatim aſſignandam eodem complectimur articulo; ſi enim ſtrictius loqui velimus, non adeo Argumentandi formulæ ab Enthymemate diverſæ, quam diſtinctæ Enthymematum ſpecies a materia deſumptæ reperientur.

Eſt enim Inductio ſyllogiſmus, cujus altera præmiſſa ſupprimitur, Concluſionem inferens de toto, vel Termino univerſali, ex enumeratione partium totius, vel inferiorum Termini univerſalis: Ita facile ſuppleri poterit propoſitio ſuppreſſa, in ſuperius allata Inductione de ſcriptura ſacra, modo ad ſyllogiſmum Hypotheticum reducatur hoc pacto.

Si Libri novi et veteris Teſtamenti ſunt Divinæ Autoritatis, tota ſacra ſcriptura eſt Divinæ Autoritatis: (ſed brevitatis gratia) ſed verum prius: Er. et poſterius.

Similiter de inſtantia Inductionis, altera de Termino univerſali, et ipſius inferioribus judicandum.

Non minus patet exemplum, aliud non eſſe quam Enthymema, vel ſyllogiſmum, in quo ſuppreſſa altera præmiſſarum, ex una vel pluribus inſtantiis infertur Concluſio de caſu ſimili; ita ſuppleri poterit ſuppreſſa propoſitio prædicti exempli de Cæſare, poſita Majore conditionali.

Si *Cæſar* inimico ſuo pepercit Ciceroni, parcet etiam Catoni:
Sed *Cæſar* inimico ſuo Ciceroni pepercit:
Er. Etiam parcet Catoni.

Vel

Vel ſi viſum fuerit ad formam Categoricam reducere, ita formari poterit.

Qui inimico ſuo Ciceroni pepercit, parcet etiam Catoni:
Sed *Cæſar* inimico ſeu Ciceroni pepercit;
Er. Etiam parcet Catoni.

ARTICULUS Septimus

De Dilemmate.

Dilemma dicitur Argumentandi formula, in qua facta membrorum diſtinctione, difficultate premitur adverſarius quamcunque partem elegerit, unde et dici ſolet Argumentum *Cornutum*, ſive *Bicorne*, ut in exemplo ſequente.

Si impium perpetraveris facinus, vel id magiſtratui innoteſcet, vel non innoteſcet:
Si magiſtratui innotuerit, pœnas dabis in hac vita; ſi non innotuerit, intus utcunque mordente Conſcientia cruciaberis:
Er. Ab impio facinore perpetrando omnino eſt abſtinendum.

Vel,

Er. Impium facinus non eſt perpetrandum.

In hujuſmodi Argumentationibus, ut rite inferatur Concluſio, hæc requiri ſolent; *primo*, Ut in propoſitione Majore ſit plena partium enumeratio, et inter has oppoſitio debita, ne membrum aliquod medium, aut diverſum reperiatur. *Secundo*, Ut ſit difficultas tanta ex utraque parte (addas, ſi viſum fuerit, vel ex partibus ſingulis, ſi plures fuerint duabus) ut inde neceſſario ſequatur Concluſio. *Tertio*, Cavendum ne in opponentem æqua ratione retorqueri poſſit *Dilemma*, ſi qua vis in ipſa fuerit.

Dilemma reducere ſolent Logici non veteres tantum, ſed et Recentiores, ad ſyllogiſmum Diſjunctivum, qua in re non ſatis advertiſſe videntur, unanimi Conſenſu ab ipſis receptum eſſe tanquam Legitimum modum illum procedendi in ſyllogiſmo Disjunctivo, a remotione unius vel plurium membrorum ad poſitionem alterius, vel reſidui membri, disjunctivam ſaltem poſitionem plurium membrorum.

A Logicis item Veteribus probari modum procedendi alterum, licet (ut ſuperius dictum, dum de ſyllogiſmo Disjunctivo) minime accuratum, a poſitione ſcil. partis unius ad negationem alterius, vel reliquarum; in Dilemmate autem, ut cuivis intentius rem perpendenti patebit, neuter ex modis his procedendi reperitur, removetur quippe in propoſitione minore utrumque membrum, vel omnia, ſi plura fuerint duobus.

Rectius multo reduci poſſe videtur Dilemma ad ſyllogiſmum Hypotheticum (niſi quod Dilemmatis propoſitio minor Epichyrema ſapiat) Conſtantem Conſequente Disjunctivo, cujus utrumque membrum (vel omnia, ſi plura fuerint Duobus) in minore removetur, ut hinc in Concluſione procedatur ad remotionem antecedentis; prout cernere eſt in modo allato Dilemmate, ſi ad formam ſequentem reducatur.

Si ex ulla ſuppoſitione perpetrandum ſit impium facinus, vel hoc fiet ex ſuppoſitione quod magiſtratui innoteſcat, vel quod non innoteſcat.

Sed nec eſt perpetrandum impium facinus ex ſuppoſitione quod magiſtratui innoteſcat, nec quod non innoteſcat:

Er.

Er. Ex nulla ſuppoſitione perpetrandum eſt impium facinus.

Ubi patet in minore removeri propoſitionis majoris Conſequens disjunctivum, quoad utramque partem; atque ideo in Concluſione removeri majoris Hypotheticæ Antecedens.

Diximus Dilemmatis propoſitionem minorem Epichyrema ſapere (nec hoc impedit quo minus ad ſyllogiſmum Hypotheticum recte reducatur) quod in minore, ad vitandam ſyllogiſmorum pluralitatem, immediate ſubjiciatur utriuſque partis probatio: hoc ulterius patebit, ſi prædicti Dilemmatis Minor, quoad probationem in eadem propoſitione utrique parti annexam, ad ſequentes duos ſyllogiſmos Categoricos reducatur.

Primum.

Quod pœnam in hac vita infert non eſt perpetrandum:

Sed facinus impium, ex ſuppoſitione quod magiſtratui innotuerit, pœnam in hac vita infert:

Er. Facinus impium, ex ſuppoſitione quod magiſtratui innotuerit, non eſt perpetrandum.

Secundum.

Quod infert cruciatus mordentis Conſcientiæ non eſt perpetrandum:

Sed facinus impium, ex ſuppoſitione quod magiſtratui non innotuerit, infert Cruciatus mordentis Conſcientiæ:

Er. Facinus impium, ex ſuppoſitione quod magiſtratui non innotuerit, non eſt perpetrandum.

ARTICULUS Octavus

De Sorite.

Sorites *dicitur Argumentandi Formula, in qua continua propoſitionum ſerie prædicatum propoſitionis* primæ *fit ſubjectum* ſecundæ, prædicatum ſecundæ *ſubjectum* tertiæ, *prædicatum* tertiæ *ſubjectum* quartæ, et ſic deinceps quoad de primo *ſubjecto enuncietur ultimum prædicatum*, ut in Exemplo ſequente.

Avari multa Concupiſcunt:
Qui multa Concupiſcunt multis indigent:
Qui multis indigent anxia Cruciantur cura;
Qui anxia Cruciantur cura ſunt miſeri:
Er. A primo ad ultimum, avari ſunt miſeri.

Non aliud eſt *Sorites* quam ſyllogiſmorum plurium quaſi in unum Coacervatio; et ſi qua argumentandi formula ſyllogiſmus Compoſitus, ſenſu etiam ſtrictiſſimo, dici debeat, nomen certe meretur formula hæc.

Quot autem ſyllogiſmi ſimplices in quavis Sorite contineantur dignoſci poterit ex Terminorum numero: numerum hunc conſtituunt Termini, qui inter primum ſubjectum et ultimum prædicatum interjacent: unde in modo allata Sorite, pro numero Terminorum interjacentium, nimirum *multa Concupiſcentes*, *multis Indigentes*, *anxia Cruciati cura*, tres continentur ſyllogiſmi ſimplices, qui hunc in modum formari poterunt.

Primus.

Primus.

Qui multa Concupiſcunt, multis indigent:
Avari multa Concupiſcunt:
Er. Avari multis indigent.

Secundus.

Qui multis indigent, anxia Cruciantur cura:
Qui multa Concupiſcunt, multis indigent:
Er. Qui multa Concupiſcunt, anxia Cruciantur cura.

Tertius.

Qui anxia Cruciantur cura, ſunt miſeri:
Qui multis indigent, anxia cruciantur cura:
Er. Qui multis indigent, ſunt miſeri.

ARTICULUS Nonus

De Epichyremate.

Diximus ſuperius prædictis Argumentandi Formulis addi a nonnullis *Epichyrema*, dictum a quibuſdam *ſyllogiſmum Rhetoricum*, quod, quantumvis frequens ſit apud Oratores, in Diſſertationibus Philoſophicis vix unquam occurrat.

Hujus nomine intelligunt *Argumentandi formulam, in qua alteri vel utrique præmiſſæ ſyllogiſticæ immediate ſubjungitur ipſius probatio*; ut in ſequente Exemplo.

Omnis Homo tenetur actiones ſuas componere ad ſupremi Numinis præſcriptum:
quia eſt Homo Creatura ratione prædita:
Sed omnis Imperator in hiſce terris eſt Homo:
quia

quia a Communi ſtirpe Adami Originem ducit:

Er. Omnis Imperator in hiſce terris tenetur actiones ſuas componere ad ſupremi Numinis præſcriptum.

Sicut de Sorite, ita de Epichyremate ſtatuendum, ſenſu ſtrictiſſimo, merito ipſi tribui nomen ſyllogiſmi Compoſiti; quod, ut abunde patet, in ſyllogiſmos alios ſit reſolubilis; ita ſi perpendatur modo allatum Epichyrema, facile quis cernet reſolvi poſſe in ſyllogiſmos tres, quorum primus, ſi viſum fuerit, dicatur Principalis: ſecundus involvitur in probatione propoſitioni majori annexa: Tertius, in probatione quæ minori annectitur: ita autem formari poſſunt tres hi ſyllogiſmi.

Primus.

Omnis Homo tenetur actiones ſuas componere ad ſupremi Numinis præſcriptum:
Omnis Imperator in hiſce terris eſt Homo:
Er. Omnis Imperator in hiſce terris tenetur actiones ſuas componere ad ſupremi Numinis præſcriptum.

Secundus.

Omnis Creatura ratione prædita tenetur actiones ſuas componere ad ſupremi Numinis præſcriptum:
Omnis Homo eſt Creatura ratione prædita:
Er. Omnis Homo tenetur Actiones ſuas componere ad ſupremi Numinis præſcriptum.

Tertius.

Quicunque originem ſuam ducit a communi ſtirpe Adami, eſt Homo:
Omnis Imperator in hiſce terris originem ſuam ducit a communi ſtirpe Adami:
Er. Omnis Imperator in hiſce terris eſt Homo.

APPENDIX.

De Argumentationibus Vitioſis.

ARgumentationes quædam ſyllogiſmorum ſpeciem mentiuntur, dum interea veri ſyllogiſmi non ſunt, in regulas utpote ſyllogiſticas peccantes; dici ſolent hæ *ſophiſmata*, ubi vitium obvium non eſt; horum ſpecies omnes a Logicis communiter enumeratas percurrere prohibet Compendioli hujus inſtitutum; Tyronum utcunque gratia, ſyllogiſmorum falſo ita Dictorum, in regulas ſyllogiſticas peccantium, inſtantias nonnullas adducemus; ut horum vitiis detectis facilius detegantur aliorum iſtiuſmodi, ſicubi occurrant.

Regulas ſyllogiſmorum Generales *ſeptem* ſuperius adduximus, quarum dici poſſunt quædam *Primariæ*, quod ex ipſis tanquam Conſectariæ aliæ ducantur, ſingularum etiam figurarum regulas ſibi proprias, ſpeciales dictas, adduximus: argumentationum cum in illas, tum in has peccantium, Inſtantiæ ſequuntur.

In regulam quam aſſignavimus *primam* Generalem (in ſyllogiſmo poni debent tres Termini, nec plures, nec pauciores) peccat ſequens Exemplum.

Om-

Omne Brutum eſt quid diverſum ab Homine:
Petrus non eſt quid diverſum ab Homine;
Er. Petrus non eſt quid diverſum a Bruto.

Conſtat quippe quatuor Terminis, ſcilicet Brutum, Quid diverſum ab Homine, Petrus, et Quid diverſum a Bruto.

Obſervandum item in Regulam hanc Generalem non tantum peccare ſyllogiſmos (modo ita dici mereantur) in quibus quatuor Termini expreſſis verbis reperiuntur diverſi; ſed et ubi ob Terminorum ambiguitatem uni ex tribus terminis Ideæ diverſæ ſunt alligatæ: unde fit quod in propoſitione una diverſo ſumatur ſenſu Terminus Idem ab eo, qui ipſi affixus fuerat in propoſitione alia, ut in Exemplo ſequente.

Quod caret Principio et fine eſt æternum:
Globus caret Principio et fine:
Er. Globus eſt æternus.

In hoc enim æque hac priore ſunt revera Termini quatuor: in propoſitione quippe majore Intelligitur Principium et finis reſpectu durationis; in minore autem reſpectu Figuræ; unde enumerari facile poſſunt Termini quatuor. *Primo*, Carens principio et fine reſpectu durationis: *Secundo*, Æternum: *Tertio*, Globus. *Quarto* Carens principio et fine Figuræ.

Eadem etiam opera facile ſolvi poſſunt quæ communiter afferuntur ſophiſmatum Exempla, ab ambigua Terminorum Conſtructione, a fallacia, ut dicitur, Compoſitionis et Diviſionis; ab accentu item, et Figura Dictionis; ſed his immorari impræſentiarum non vacat.

In Regulam *ſecundam* Generalem (medius Terminus debet ſemel ſaltem ſumi in tota ipſius Extenſione) peccat hic.

Aliquod animal eſt ratione deſtitutum:
Omnis Homo eſt animal:
Er. Omnis Homo eſt ratione deſtitutus.

Terminus enim Animal, qui loco medii ponitur, ſumitur particulariter non tantum in Majore, quod patet, ſed et in Minore, quod ſit in ea prædicatum propoſitionis affirmantis, adeoque, ut ex alibi dicendis patebit, ſumatur in parte tantum ſuæ Extenſionis, ea ſcilicet quæ eſt proportionata Extenſioni ſubjecti.

In Regulam *tertiam* Generalem (Termini Concluſionis univerſalius ſumi non debent in ipſa Concluſione, &c.) peccat hic.

Omnis ſincere pius eſt beatus:
Aliquis miles eſt ſincere pius:
Er. Omnis miles eſt beatus.

Terminus quippe miles, qui eſt minus Extremum, ſumitur in Minore tantum particulariter, ſive in parte tantum ſuæ Extenſionis; univerſaliter autem in Concluſione, ſubjectum utpote propoſitionis univerſalis.

In Regulam *quartam* Generalem (Debet altera ſaltem præmiſſarum eſſe affirmativa) peccat hic.

Rex Hyberniæ non eſt Rex Danorum:
Rex Magnæ Britanniæ non eſt Rex Danorum:
Er. Rex Magnæ Britanniæ non eſt Rex Hyberniæ.

Cumque nec ex utraque præmiſſa negativa inferri poſſit Concluſio affirmans: hic etiam in datam regulam peccat.

Rex Hiſpanorum non eſt Rex Danorum:
Rex Gallorum non eſt Rex Danorum:
Er. Rex Gallorum eſt Rex Hiſpanorum.

Ubi enim eſt præmiſſa utraque negativa, deeſt omne fundamen, cui inniti poteſt ſyllogiſmus; ut ex alibi dicendis patebit.

In Regulam *quintam* Generalem (ſi utraque præmiſſa fuerit affirmativa, &c.) peccat hic.

Omne peccatum reddit peccatorem iræ divinæ obnoxium:
Omne mendacium eſt peccatum:
Er. Mendacium non reddit peccatorem iræ divinæ obnoxium.

Cuivis quippe perpendenti, ex modo dictis præmiſſis plane ſequitur Concluſio.

Er. Omne mendacium reddit peccatorem iræ divinæ obnoxium.

In Regulæ *ſextæ* generalis (Concluſio ſequitur debiliorem partem) partem priorem (ſi altera præmiſſarum fuerit negativa, &c.) peccat hic.

Nullus Homo omnia poteſt:
Omnis Homo eſt creatura:
Er. Aliqua creatura omnia poteſt.

In ejuſdem regulæ partem poſteriorem (ſi altera præmiſſarum fuerit particularis, &c.) peccat hic.

Omnis

Omnis Homo eſt Creatura ratione prædita:
Aliquod animal eſt Homo:
Er. Omne animal eſt Creatura ratione prædita.

In Regulam *ſeptimam* Generalem (ex utraque præmiſſa particulari nihil ſequitur, nec ſc. Concluſio affirmativa nec negativa) peccat hic, cujus eſt Concluſio affirmativa.

Aliquod animal eſt Brutum:
Aliquod animal eſt Homo:
Er. Aliquis Homo eſt Brutum:

Hic etiam cujus Concluſió eſt negativa.

Aliqua ſubſtantia eſt cogitativa:
Aliqua ſubſtantia non eſt ſpiritus:
Er. Aliquis ſpiritus non eſt cogitativus.

Diximus ſuperius ex æquo primarias non eſſe regulas has omnes Generales, unde nec mirum videri debet quod in earum plures peccat eadem Argumentatio vitioſa.

Sequuntur addenda exempla Argumentationum vitioſarum in Figurarum regulas ſpeciales peccantium.

In Figuræ *primæ* regulam ſpecialem primam (Minor debet eſſe affirmativa) peccat hic ideo vitioſus ſyllogiſmus.

Omnis ſpiritus eſt ſubſtantia;
Nullum Corpus eſt ſpiritus:
Er. Nullum Corpus eſt ſubſtantia.

Hoc item ſophiſma vulgatum.

Tu non es quod Ego ſum:
Ego ſum Homo:
Ergo tu non es Homo.

De cujus ſolutione dabitur, volente Deo, occaſio alibi ſuſius dicendi; ſufficiat Impræſentiarum ad veram formam reduxiſſe, ut inde appareat quantum a regula hac ſpeciali deflectat.

Ego ſum Homo:
Tu non es Ego:
Ergo tu non es Homo.

In Figuræ ejuſdem regulam ſpecialem ſecundam (Major debet eſſe univerſalis) peccat hic.

Aliqua ſubſtantia eſt cogitativa:
Omne Corpus eſt ſubſtantia:
Er. Aliquod Corpus eſt cogitativum.

In Figuræ *ſecundæ* regulam primam ſpecialem (Altera præmiſſarum debet eſſe negativa) peccat hic.

Omnis ſpiritus eſt ſubſtantia:
Omne Corpus eſt ſubſtantia:
Er. Omne Corpus eſt ſpiritus.

In regulam hanc peccat etiam ſophiſma iſtud vulgatum.

Qui dicit hanc Theſin eſſe propoſitionem, dicit verum:
Sed qui dicit hanc Theſin eſt Theſin falſam, dicit hanc Theſin eſſe propoſitionem:
Er. Qui dicit hanc Theſin eſſe Theſin falſam, dicit verum.

De cujus ſolutione fuſius alibi dicetur; hic tantum perpendendus venit trium iſtarum propoſitionum

poſitionum ſenſus, cujus, in Argumentatione omni, præcipua eſt habenda ratio; huc autem quod ad ſenſum redeunt.

Theſis falſa eſt propoſitio:
Hæc Theſis eſt propoſitio:
Ergo hæc Theſis eſt Theſis falſa.

In Figuræ ejuſdem regulam ſpecialem ſecundam, (Major debet eſſe univerſalis) peccat hic.

Aliqua ſubſtantia eſt in partes Diviſibilis:
Nullus ſpiritus eſt in partes Diviſibilis:
Er. Nullus ſpiritus eſt ſubſtantia.

In Figuræ *tertiæ* regulam primam ſpecialem (Minor debet eſſe affirmativa) peccat hic.

Omnis ſpiritus eſt ſubſtantia:
Nullus ſpiritus eſt Corpus:
Er. Aliquod Corpus non eſt ſubſtantia.

In Figuræ ejuſdem regulam ſpecialem ſecundam (Concluſio debet eſſe particularis) peccat hic.

Omnis Homo habet mentem finitam Corpori organico unitam:
Omnis Homo eſt animal:
Er. Omne animal habet mentem finitam Corpori organico unitam.

APPENDIX *Altera*

De Legibus Diſputandi.

GEnuinus, in quem intendi debet Diſputatio, finis eſt, ut monſtretur veritas, et falſitas refellatur: hujus Leges nonnullæ tradi ſolent, quarum, quantum ad Diſputationis materiam, præcipuæ ſunt ſequentes duæ.

Prima, Ut inſtituatur Diſputatio de materia illius naturæ, quæ (in rebus, quæ humano generi uſui eſſe poterunt) veritatibus detegendis ac confirmandis, ac erroribus refutandis, inſerviat.

Secunda, Ea eſt Eligenda materia, quæ Diſputantium captum non excedat, quæque a quibuſdam ſaltem in Dubium vocabitur; quæ enim a nemine in Dubium vocantur, extra Controverſiæ aleam poni intelliguntur.

Quod ad Diſputationis formam (diſputandi methodum) tradi ſolent Regulæ quædam, ab Opponente, ſimul et Reſpondente (Defendente etiam dicto) obſervandæ: Aliæ item illi, et aliæ huic peculiares.

Utrique incumbit,

Primo, Ut ingenuæ mentis candore imbutus ad Diſputationem uterque accedat, eruendam veritatem intendat, nec vanam Gloriam captare ſtudeat.

Secundo, Ut per integrum Diſputationis decurſum, eundem controverſiæ ſtatum, in Diſputationis initio diſtincte propoſitum, firmiter uterque retineat.

Tertio, Ad inanem litem tollendam, de principiis quibuſdam, quibus inædificanda veniunt Argumenta, in anteceſſum inter eos convenire debet.

Quarto, Ut brevitati ſimul et perſpicuitati uterque ſtudeat.

Quinto, Ut ab omni contumeliarum genere utrique abſtineatur.

Regulæ ab Opponente peculiariter obſervandæ, ſunt,

Prima, Ut propoſitæ Theſeos ſenſum accurate examinet.

Secunda, Ut quod affert argumentum primum propoſitæ Theſi expreſſe contradicat.

Tertia, Ut in Diſputationis progreſſu Argumentationem ita firmandam curet, ut ſequentis Argumenti Concluſio ſit hæc propoſitio eadem, quæ prius a Reſpondente negata fuerit: Sique a Reſpondente adhibita fuerit

Distinctio sensus ambigui, sequentis Argumenti Conclusio sit propositio illa, quam, addito Distinctionis altero membro, respondens admittendam renuerat.

Quarta, Ubi data fuerit a Respondente solutio, propositi Argumenti vim plane tollens, ulteriori altercationi ne indulgeat.

Regulæ a Respondente peculiariter observandæ, sunt,

Prima, Ut præmisso, prout usus fuerit, honoris vel benevolentiæ titulo, Argumentum ab Opponente adductum fideliter integrum repetat, denuo item recitet, quoad ab ipso repetita iterum fuerit propositio illa cui responsionem dare instituit.

Secunda, Ut inter repetendum argumentum, si *primum* fuerit, ab Oponente adductum, perpendat an Thesi propositæ contradicat; sique primum non fuerit, examinet an argumenti istius Conclusio sit eadem propositio, quam prius negaverat, vel simpliciter, vel addito Distinctionis altero membro.

Tertia, Ubi nihil horum occurrit, argumenti formam, secundum regulas superius traditas, examinet; hæc si accurata non fuerit, argumentum repudiet, ubi illius vitium, quod ad formam, ostenderit.

Quarta, Si accurata reperiatur forma, præmissas perpendat, falsam neget, ambiguam distinguat.

Quinta, Si non tantum accurata fuerit argumenti forma, ſed et de præmiſſarum veritate conſtet abſque ulteriore lite, quod verum eſt, agnoſcat.

Sexta, Ubi ſub Doctoris præſidio in arenam prodeunt Opponens et Reſpondens, regulas, ſicubi opus fuerit, alias a Præſide tradendas, uterque obſervet.

FINIS.